

D. 1. pp.

783



INDEX MATERIARUM

De A. pag.
 Abrogatione Legum. 1.
 Aedificijs privatis. 97.
 non Appellandi priv. 445.

B.
 Bello Svecico discurs.
 juridico-Politicus 511.

C.
 Censu redimibili & irre-
 dimibili - - - 235.
 Coloribus juris. - 43.
 Collectis. - 697.
 Canonum errores. 723.
 Cont. lita realibus 224.
 Contestatione litis. 417.
 Competenti foro 393.
 Compensationibus 527.

D.
 Discursus juridico Politicus
 de bello Svecico. 511.
 Differentijs juris communis et Sax. p. 555.

De E. pag.
 Expeditariarum rerum
 Successione testamentaria. 185.
 Errores Canonum. 723.

F.
 Feudalicum et Successio-
 ne testamentaria - 185.
 Fideiussoribus. - 264.
 Foro competenti 393.
 Fasciculus error Thalmydi 723.

G.
 Gerarda Successione tes-
 tamentaria - 185.

J.
 iure non appellandi. 445.
 iuris coloribus. 43.
 in integrum restitutio. 495.
 juris communis et Sax. differ. 555.
 Legum abrogatione. 1.
 Legitimatione. 57.
 Litis contestatione. 417.

17 795.
IVS AC PRIVILEGIUM
DE
NON APPELLANDO

Jure Civili & hodierno concessum
DISPUTATIONE INAUGVRALI

Favente summo Numine

Decreto & Autoritate

NOBILISSIMI AMPLISSI-
MIQUE IVRISCONSULTO-
RVM ORDINIS

IN CELEBERRIMA AC FLORENTI
ARGENTORATENSI ACADEMIA

Pro obtinendis in Utroque jure juribus
ac privilegiis summis

*Publico & placido congressui exhibet
Ad diem 20. April.*

JOHANNES FABER,
Nycopiâ-Danus.

—*—*—


ARGENTORATI,

Ex Typographéo FRIDERICI SPOOR,

clō lōc LIII.

NOBILISSIMO AMPLISSIMO
TUBIGARDAE COMITIS MA
DISPUTATIONE IN AVGVSTIA
IOACHIME GERDORF
IN CELESTI ACADEMIA
ARGENTORATI





ILLUSTRISS. EXCELLENTISS.
MAGNIFICE QVE HEROS

JOACHIME GERSDORF,
TUBIGARDAE DOMINE, MA-
GNE REGNI DANIAE AULAE MAGI-
STER, EQUES AURATE, SENATOR,
ET PRAEFECTE ARCIS
BORNHOLMIAE:

*Patrone devotissima submissione
venerande,*

BA aliquando fuit felicissimae
alias Reipubl. Romanae infeli-
citas, ut sordibus maius fuerit,
quam Virtuti precium, existi-
matio maior, atque favor. Suspecta su-
specto tempore Virtus, quo non adeo tur-
pe, ut fere honestum iudicatum fuerit, di-
gnitates, eorumque, qui plurimum in Re-
publ. possent, suffragia per turpes crimi-
):(2 nosos-



nosque divisores in se rapere. Vidisses
turbulentâ hâc publicâ confusione Urbem
octo mensibus magistratu carentem, nul-
lum jus, nullum imperium. Inhonestâ
certe fraus, quæ honestam illam & candi-
dam, ut Tullius vocat, animos magnorum
sibi honestè conciliandi rationem omnino
excludit. Non vitio datur bellî pacisque
moderatori Romanorum summo, cui di-
vinum aliquid inesse existimabatur, Scipio
is est, quod singulari comitate, ac naturali
quadam dexteritate non tantum suorum,
sed & ipsius infensissimi hostis animum si-
bi devincire noverit. Gratias agit P. De-
cius Fabio, quod elogiô honesto, pro au-
toritate, quâ pollebat, efficaci, eum Sena-
tui commendaret Romano. Cæterum
ignosce, magne Heros, si in sacrarium exi-
stimationis Tuæ ingredi audacior videar.
Scilicet ambire me ulterius favorem istum,
quod me meosque non semel benignè fo-
visse Te immane quantum gloriamur, non
ostendo, sed publice profiteor. Poterat
quidem ambitioni huic obicem posuisse
Illu-

Illustris nominis Tui splendor, summaque
 autoritas; sed divina illa Tua humanitas
 in societatem amplissimæ dignitatis admif-
 fa non patitur has remoras: cum iniurio-
 sum semper existimaveris, & adhuc existi-
 mes, quenquam à latere Tuo dimittere tri-
 stiozem. Enimvero adeò benignè pru-
 dentiâ istâ Tuâ & dignitate uteris maximâ,
 ut privatim nemini sis gravis, publicè o-
 mnibus utilis. Sed religio esset, non me-
 minisse, quod Tecum agam, Generosissi-
 me Heros, cuius occupationibus publicis,
 hoc est, publicè salutaribus intervenire, ef-
 set in Te remque publicam peccare, qui
 eò, jure meritissimò, positus es dignitatis
 ac Virtutis Tuæ dignissimæ dignissimò lo-
 cò, ut nullum excipere tempus possis, quod
 gravioribus Tuis negociis, hoc est, curæ
 publicæ, cui invigilas, non surreptum vi-
 deatur. Ne ergo querimonias in me ex-
 citem publicas, dum sacra Tua tempora
 moror, sacrò silentiò amplissimam Tuam
 gloriam cum patriæ gloria junctam vene-
 raturus, nefas duxerim in iis Virtutibus ste-
 rilem

rilem occupare calamum, frustra ea expedire conantem, quæ in ore omnium posita omnes loquuntur, posteritas ipsa loquetur. Permite tantum, Inclute Heros, ut conatus hic meus non omnino cedat irritus, qui, ne nimis diu debitus animi devoti cultus suspenderetur, præcipiti hâc eruptione peccare maluit, quàm humillimi obsequii argumenta longius differre: Verebar enim omnino, ne diutiori silentio suspectum nimis meum Tibi redderem studium. De cætero non nesciebam, tantum polliceri Tuam humanitatem, quantum Tua excellit eruditio, quod, cum grandia exsequaris, non soleas tamen fastidire exigua. Cum itaque rectè augurarer, nihil à me unquam proficisci posse, quod devotum ac fatis pro ista beneficentia gratum Tibi effundere animum posset; non oportuit tamen me pro maximo beneficio, quia æqualem non possem, nullam prorsus gratiam retulisse. Quapropter frustra fuit diutius negligere officium, cum vel hoc maximè tempore laboran-

melu

e)

boran-

448.
borandum mihi esse studiose animadver-
terim, ut hisce vilioribus nimis profectò
celeriter enatis tantis eligeretur Patronus,
sub cuius nominis auspicio se adulterinâ
faltem dignitatis (cum veram præ se ferre
non possint) specie commendare aliis au-
deant. Vides incomparabilis literarum
patrone, quam me ad exemplum usque ra-
ra humanitas Tua audacem reddiderit: ad-
eò ut & adhuc dum Affectus Tui favorem,
quo me dignum iudicasti, laceffere, & in
infimas trahere has non verear partes. Ni-
mium esset, quod sustineo, Illustris Heros,
nisi apud Te causa ageretur, quem diutissi-
me sospitem ac incolumem valere quoti-
die privatò, nunc publicò votò voveo

Perillustris ac Generosiss. Nominis Tui

Dabam Argent.
A. M. DC. LIII.
27. Mart.

devotissimus cultor


Johannes Faber,
Nycop. Danus.

Plutarch.

Quod ad peregrinos iudices Græci appellaverunt aliquando, id initio hinc excogitatum fuit, quod alij de aliorum justitia diffidentes, eam ut rem necessariam & apud ipsos non existentem aliunde petendam sunt opinati. Nonne eodem modo etiam Philosophi de questionibus quibusdam propter mutuas invicem dissensiones ad naturam brutorum animalium provocaverunt, eorumque affectionibus & ingenis, utpote integris, & nullò alloquiò, nullò donò corruptis, iudicium permiserunt?

Johannes Faber
Nycop. Danus.

Datum Argent.
A. M. DC. LIII.
27. Mart.



Faveat summus Jehovab!



N ipsa etiam tribunalia, quæ malitiam compescere debebant, humana, proheolor! malitia descendit, ubi multi sordibus, prece, precio propter turpis lucri aucupium decepti corruptiq; à vero iudicio defleunt. Quemadmodum autem boni Principis est, se ipsum hinc sanctum & incolumem præstare, ne iudicium eius vel indulgentiæ, vel pravi affectus instrumentum fit; ita & in eo eius cura & sollicitudo occupata rectè erit, si tales non admiserit Magistratus, aut iudices, quibus non licet, etiam cum liquet, rectè pronunciare, quando scil. pravo affectui, sibi que ipsis malunt, quàm juri satisfacere; ut adeo subiecti à suæ gentis hominibus, hoc est, iis quorum patiuntur imperium, id damni fuscipiant, quod ab exteris vix audent timere, quando quidem ira cupiditasq; prava absolvere cupit officium, rationis, ratione dictante id quod æquum est, irâ idæquum existimante, quod iudicavit; quasi honestior sit in male cœptis pertinacia, quàm erroris manifesti revocatio. Quam necessarium ergo fuerit civibus iniquâ sententiâ pressis succurri quibusdam remediis, nemo est, qui non animadvertit. Cui inique iniquorum iudicium licentiæ vix salubrior imponi temperies, firmiorq;

A jici



2.

jici obex potest, quo quis magis in officio contineatur, quam si judicia sua, iudicio, sententiis & retractationi obnoxia esse non nesciat: cum de cætero non raro iniquissima pro æqua lege obtrudere eos cernamus arbitria, quibus suo standum esse decreto persuasum est. Inter varia autem & salubria *Supplicationis, Revisionis, Syndicatus* remedia, concessâ mihi à nobilissima nobilissimæ Facultatis Juridicæ triaga disputandi licentiâ, nescio an ideo placuerit Commune illud, ut vocat Jctus *in l. 3. §. 1. D. rem rat. hab.* auxilium, oppressorumque levamen APPELLATIO, quod eorum sequi auctoritatem attrinere videam, quorum subterfugere consilium mihi religio semper fuit, eritque. Ita tamen in hoc versabor negotio, ut cum tempore nobilissimam hanc materiam accurate pertractandi destituar, in explicando JURE & BENEFICIO non Appellandi ex Jure Civili & hodierno paginæ hæc vel maximè sint occupatæ. Neque hîc eorum me moveri reprehensione patiar, qui post alios eundem movens lapidem, rariorem non selegisse materiam videar: cum quod obsequii mihi hic relicta sit gloria, quam jactô; tum quod rariora eiusmodi non invitus relinquam vel iis, qui pares omnino sunt, vel, qui ab ingenio sibi magis polliceri suo audent. Nec tamen omnino hac in parte desperandum fuisset, si celeritas nimia sibi nimium non tribuisset. Non possum ergo non mihi veniam ab æquo censore ac lectore polliceri, si vel nimis jeiune heic agam, vel non satis industriè, quod incommodum metui solet: cum & præsentis materiæ, quæ aliquando rem commendare solet, frequentia ac utilitas patrocinium præbeat.

THE-

^{3.}
THESIS I.

VOcis homonymia, quæ satis à Lexic. Colleg. Argent. *pr. de Appell.* Brederod. *tr. de Appell. part. 1. tit. 1 V.* aliisque est exposita, nunc nos non morabitur. Ipsius beneficii appellatorii, non obscura extant in S. Codice vestigia: ita ut ab ipsa antiquitate in omni imperio summum quoddam extitisse tribunal, ad quod extremæ causarum devolverentur cognitiones, ubi malè affectorum judicium sententiæ ad examen revocatae sint, exponat Besold. *tr. de App. c. 1.* Ut Remp. Moisaicam taceam, de qua Bachov. *ad Treutl. pr. de Appell.* forte ex Josepho *III. Antiq. c. III.* liceat mihi huc referre admirandum exemplum justissimi Dei apud Jerem. *cap. XLV.* verba sunt: *cogite omnes populos totius orbis terrarum, ut inter me & populum meum judicent, si quid à me fieri debuit, quod non fecerim.* Ipse D. Paulus cum suspectum haberet Festum Porcium, quem noverat argentangina (liceat mihi uti ista voce, quam Ampliis. Tabor in erudita excussione *tit. de suffrag. adhibet*) laborare, plus justo Judæis favere, eo que timeret, ne innocentia malitiæ & potestati judicantis cedere cogere-tur, ad Tribunal Cæsaris provocasse legitur. *Actor. XXV. n. II.* à quo procul dubio abstinuisset, si Juri Naturali vel divino, eam adversam esse existimasset. Quare & ap-
pellatorium hoc juvamen, ut vocatur *in l. ult. §. 4. C. de temp. appell.* quod non ad defensionem iniquitatis, sed præsidium innocentiae institutum est, *l. 17. de min. Ol- dend. cl. 1. act. II. p. m. 22.* ad Jus Naturale refertur. *ex c. 61. §. porro. extra de Appell.* à Dd. cum in se contineat defen- sionem contra prætensam judicis iniuriam. Clariss. Tabor Præceptor & Fautor æstimandus in Barbof. *cap. LXXXI. n. 2.* Schneid. *ad Inst. de Interd. pr. n. 17.* Dam- houd.

Appellatio non repu- gnat juri Divino.

Juri natu- rali.



4.
houd. pr. Civ. c. CCXXIX. n. 3. Brederod. part. I. tit. I. Quæ
defensio nec cum jure naturæ, quod nobis cum bestiis
commune, pugnat. l. 1. §. 27. D. de Vi & V. arm. l. 4. l. 45.
§. 4. D. ad L. Aquil. Si enim ipsa bruta inspexeris, nul-
lum est animal, quod se oppressum ubi senserit, non al-
terius implorare auxilium videatur, cum ab ipsa natura
ad sui conservationem, quam unicè expetunt, ducan-
tur. Egregius hoc de extat locus apud Plutar. de Amo-
re prolis pr. p. 493. Adeo ut nihil nobis Beuther. tr. de
Appell. cap. I. nec Caussenius aliive hac in parte officiant,
dum Appellationis originem Juri Gentium assignant.

Revera
rationi.

II. Nec hoc diffitemur, quatenus communi
naturalis rationis dictamine apud omnes gentes rece-
pta ipsa necessitate utilitateque firmata est; cum ra-
tio communis dictaret, iniquitate judicantium im-
peritiave oppressis auxilio dignioris Magistratus suc-
currendum esse. Nulla autem hinc iniuria judici
metuenda erit, si ad superiorem deferre litem per ap-
pellationem detur: nemini enim iniuriam facit, qui
jure communi utitur. l. 55. de R. I. l. 13. §. 1. D. de injur.
quare noluerunt etiam Imp. debere appellantes car-
ceris cruciatibus subiici. l. 12. C. de appell. Nemo er-
go non videt, fluere appellationem ex eodem principio,

Majestatis
varia ac-
ceptio.

unde officium Magistratus & summæ Majestatis. Sum-
mam dico, ne pro gravitate & autoritate quadam, quæ
visu & auditu venerabilis est, quomodo accipi memini,
nisi me memoria fallit, apud Tacitum: aut pro digni-
tatis & officii reverentia sumatur, l. 9. D. de jurisd. pro-
ut eâ voce utitur Suet. Tib. c. XXX speciem libertatis quan-
dam induxit, conservatis Senatui ac Magistratibus maie-

Fundamē-
tum appel-
lationis.

state pristina & potestate. Lips. II. Pol. c. XVI. Ad huius,
inquam, majestatis se subsidium appellatio refert, ne
ini-

iniquitas ac iniustitia, quæ ipsi naturæ non tantum infidiatur, sed & bellum movet, imperium ac regimen obtineat. Quod fieri non patietur prudens Magistratus, quin potius opem operamq; præstabit fidelissime, ne quasi impie munus eiurando ad dissidia & rixas eos instiget quasi, quos sublevare & componere debebat, hoc est, singulis concedat, quod per magistratum publice fieri potest. *L. 176. de R. I.* Et quæ defensio, quæ cuique tribuenda. Tac. *XIII. A. XX. 5.* oppressi esse poterit justior, quam per remedium iudicis? difficilior namq; moderatio est in propria causa, ubi proprius dolor accendit, affectusq; corrumpit. Scilicet non utendum est imperio, ubi legibus agi potest. Tac. *III. A. LXIX. 3.* Hinc Cingonium Varrionem consulem designatum, & Petronium Turpilianum consularem *inauditos indefensosq;*, *tanquam innocentes* periisse, scribit idem *i. hist. VI. 3.* Justissimam Saxonum querelam, contra Henricum Cæsarem de denegatis sibi iudiciis refert ex Brunnero *Annal. Boior. Forstn. not. Pol. ad Tac. libr. XIII. Ann. p. m. 239.*

III. Cum autem in cæteris rebus aliquod placeat extremum, in quo acquiescat humanus animus, ne in infinitum evagetur: certe nec rectè finitum jus esse dices *l. 2. D. de jur. & fact. ign.* si & iudicia non suum aliquando habitura sint finem, cui insisteret tandem omnis disceptatio. ut ergo litibus suis imponatur terminus, consequens est, finiri appellationes in eo, ubi residet Maiestas (quod ex iis putat Pontan. *Philoc. libr. VIII. c. XXVI.* esse vocabulis, quibus nullum in Græca lingua respondet, de ista lite circa inopiam Latinæ & Græcæ linguæ duo iudicant Galli, Budæus & Henr. Stephanus. *add. Jac. Pont. Phil. lib. IX. c. XIX.*) cuius ita

Appellatio
ubi finitur.



proprium jus ultimæ cognitionis, seu ulterioris provocationis nescium, ut ab ea avelli nequeat. Arnif. de Jur. Mai. lib. II. c. IV. n. 3. Et inde stultum existimavit Ulpianus monere, à principe (quem hodie Imperatorem vocamus à C. Jul. Cæsare, qui primus hoc in prænomen vertit. Suet. Jul. c. LXXVII. Rosin. lib. VII. Ant. XII. Al. ab Al. Gen. dier. lib. I. c. II.) appellari fas non esse. l. I. D. à quib. non lic. app. ipse enim est, qui provocatur, ut superior ab inferiore. Wesenb. pr. h. de cuius disputare iudicio criminis instar est sacrilegii. l. 3. C. de Crim. sacril. ille mundi dominus, ut vocatur in l. 9. D. Leg. Rhod. de jact. quod ad pompam dictum esse scribit Bodin. l. de Repub. cap. IX. Certe non oportere Imperatorem appellari dominum, legimus apud Tertullianum Apologet. cap. XXXI V. edit Jun.

A principe
non appel-
latur.

I V. Meritò damnatur Domitiani (quem Subneronem dici censet Salmasius, vid. Voss. de vit. Serm. p. 615.) arrogantia, qui Dominum & Deum se appellari iussit. Eutrop. lib. VII. c. XVI. n. 3. Dominus noster Deus sic fieri voluit: imò eos eò coegit, ut vertit Græcus Eutrop. Metaphrastes, qui & vocem *primus* non legit. Suet. cap. XIII. Idem enim de Caio Caligula, Freulf. tom. II. lib. II. c. XI. Suet. c. XXVII. De Alexandro res nota est. Curt. IV. VII. 25. Idem VIII. VIII. 15. De Dario vid. Curt. Suppl. Freinsh. lib. II. IV. 25. De Herode Vid. Clariss. Affinis Ernstii introd. ad ver. Vit. c. XVIII. 13. Fuit scilicet tempus, cum vox hæc tyrannidem sonaret. Cicero alicubi: *Brutus Populum Romanum regio dominatu liberavit.* Et Polyb. lib. II. τὸ νομικὸς ἀρχεῖν opponit τῷ δεσποτικῷ ἀρχεῖν. Profecto nolebat Augustus se vocari dominum. Suet. Aug. LIII. Isid. Hispal. Orig. lib. IX. c. III. p. 1046. ff. Respuit id Tiberius Tac. II. An. LXXXVII. 2.

Vox domi-
ni exosa.

452.

7.

reiecit Severus. Lamprid. vit. ei. p. 208. Hæc forte ratio, cur optimus Grammaticus Laur. Valla *libr. VI. Eleg. c. XXXVI.* obiiciat Justiniano Imp. superbiam, qui passus fit se vocari dominum. Poterat hic sibi temperasse Vallengis, non secus ac ab altera iniuria, qua rudem plane Imperatorem fingit post Suidam. quibus opponimus §. 6. *Inst. proæm.* ut taceam defensores Justiniani Giphanium in Oratione, Procopium scriptorem fidelissimum, aliosq;. In frequenti enim hoc nominis fuisse postea usu apud Principes etiam bonos, vix obscurum esset demonstrare. Tiberius Senatores ita vocavit. *cap. XXIX.* Suet. fratres maiores natu à minoribus apud Lamprid. sicut & aliàs Reges & Principes se invicem nominarunt. Exemplum apud Amm. Marcell. *lib. xvii. p. 346. seq.* Meurs. Gloss. Gr. barb. p. 8. ἀδελφότης. Patresfamilias domini dicti *l. 195. §. 2. de V. S.* Isidor. Ety. *lib. x. c. iv.* maritus dominus, ap. Non. Marcell. *cap. iv. n. 125. l. 57. D. de don. int. V. & ux.* Forner. *lib. i. Sel. c. xi.* Claudius coniugem dominam appellavit. Suet. Claud. *c. xxxix.* Ipsum Traianum, qui virtute sua id meruit, ut semper acclamatum in Senatu principibus fuerit: *MELIOR Traiano.* Eutrop. *lib. viii. c. ii. f. f.* non semel ita vocatum legimus apud Plinium. Et simplici voce *domini* Principem intelligunt Impp. Valentinianus & Theodos. *in l. 3. C. de Ep. aud.*

V. Sed redeundum in viam. Quin Augustus Imperator ipse graviorum rerum appellationes sibi reseravit, vix finit dubitare consilium Meccænatis, quod leges apud Dion. *lib. lxi. p. m. 557.* jure tribunicie potestatis, quod summi fastigii vocabulum, ut Tac. vocat *iii. Ann. lvi. n. 2.* ideo assumpsit, ne regis aut dictatoris nomen, (quod intantum exosum noverat, ut hæc ne-

cis

obiter de
mortis Ca-
saris Iulij
caussa.

8.
caussa Caesarianna nonnullis numerata sit, quo for-
te non obscure inclinatur Eutrop. lib. vi. c. xi. licet aliam
memoret causam Xiphil. Epit. Dion. lib. XLIV. p. m. 158.
aliam adhuc Seneca i. de Ira cap. xvi. cui add. not. Cl.
Erastii sub praelo languentes adhuc) in se reciperet,
quod eius arcanum his verbis includit Tacit. i. An. ix. §.
iuncto loco cit. non regno, non dictatura, sed principis no-
mine constituta Resp. & cuncta discordiis civilibus fessa
sub imperium nomine Principis accepit. Et sic Eutropium
intelligo, ita de eo lib. i. hist. c. xiii. differentem: Augu-
stus sub dictaturae nomine & honore regnavit. quod scilicet
ex prudentiae quodam arcano, tempori serviens, re-
contentus, nomen ipsum neglexerit. De qua nominis
reiectione, potestatis autem assumptione vide Vell. lib.
ii. c. LXXIX. §. 5. quod Augusti consilium Dio singulari
ἐπιχειρηματίη illustrat lib. LIV. pr. quem vide. Alias sub di-
ctaturae nomine non dici poterit regnasse, cum genu-
nitus id omni conatu deprecatus sit. Suet. Aug. c. LII.
ut adeo Florus lib. iv. c. XII. n. 66. cum eum perpetuum
dictatorem dictum ait, magis accipiendus sit de oblato
munere dictatorio, quam ut manifeste contra fidem
historiae pugnare videatur. Adde si lubet hac de Au-
gusti arte erudite, pro more differentem Cl. Bœcler. in
not. Polit. ad Tac. i. An. vii. & ad Suet. Aug. diss. Polit.
§. 12. & 13. Besold. d. tr. de App. p. 24.

Ab Imp.
hodierno.

VI. Cum autem extrema provocatio sit &
referatur inter iura Maiestatis, nec hodie ab Impera-
tore valet appellatio. Daniel Otho in utili & eleganti
opere Jur. Publ. c. xi. n. 10. Reink. de Reg. S. & E. lib. i.
cl. v. c. ix. n. 46. lib. i. cl. ii. c. ii. n. 167. Status Ungaricos
cum Archiepiscopo Moguntino in controversia qua-
dam ad Papam ab Imperatore appellantes, Imp. Henri-

CUS

cus IV. tam severe cohibuit, ut appellanti poenam mortis indixerit. vid. Christoph. Lehman. hist. Spir: *libr. II. c. XXXIX. p. 156.* De illicita appellatione ad Papam contra Tholosan. *lib. III. de App. c. IIX.* cæterosque asseclas, latè agentes vid. Besold. in politiff. tr. de App. *c. IV. n. 9.* Limn. Jur. P. *lib. I. c. IX. n. 99.* Reink. *lib. I. cl. II. c. IV. n. 9.* cum nostri hæc non sint instituti.

VII. Nec ex altera est parte, ut hîc moveamur acerbo istius acerbi scriptoris stylo, qui ut in scripto de Ratione Status Imperatori ultimam hanc provocacionem adimat, refert exemplum Friderici Burggravii Noribergensis, qui à sententia Caroli IV. Rupertum Palatinum appellârit. Diu jam ante hoc egit Bodinus *lib. II. de Rep. c. VI.* Sui non satis asserti memor, *lib. III. c. VI. p. 491.* quando scribit, non esse contra rationem juris, ut maior se subiiciat jurisdictioni minoris. Ita Gallicanæ Curia ipsi Regi jus dicunt. Fertur Pisistratus tyrannus, cum dies ei dicta esset, Areopagi subiisse iudicium. vid. *Arist. V. Pol. XII.* Sic & Imp. posset spontaneâ ab initio voluntate aut conventionem se subiecisse iudicio aliorum in causis patrimonialibus, salva tamen de cætero Maiestate. tantum abest, ut de sua hic quicquam decedat Maiestate, quin hoc nomine eam potius reddat securiorem: non enim cogitur à superiori, sed sua voluntate libera adstrinxit ad id, quod honestum fuit, & in commoda subiectorum vergit. Nec potestas absoluta dicitur respectu rerum agendarum, quasi quidvis agere debeat, quod placet, vid. Limn. ad Capit. *Proleg. Sect. VIII. à num. 22. usque 28.* Rumel. ad *Aur. B. cap. V. th. III. & IV.* Daniel Otho Jur. Publ. *c. VII. p. 142.* (ut loqui amant) Interim certum est, nec olim

Statista ratio.

Maior se subicie minori.

B nec



nec hodie provocationem licitam esse à cognitione Cæsaris. Dan. Otto *cap. XI. §. 10.* Licet appelletur ad eundem sub cl. à Cæsare, ut loqui amant, malè informato ad melius informandum. v. Ant. Hering. *tr. de Appellatione in vallem Josaphat.* Quicquid hic vel ille de facto egerit. Licet ex præscripto A. B. Palatinus in causis Imperatoris iudex sit; hac lege assumendus, ut in eiusdem aula cognitionem instituat. v. Limnæum. *3. de jure publ. 9. n. 63. & seqq.* Joachim. Beust. *in l. admonend. n. 194. pag. 417.*

*Constitutio
de suspen-
denda sen-
tentia da-
mnatoriâ.*

LI X. Ne tamen ob denegatam à Principe facultatem appellandi nimia celeritas videretur periculosa, sanctissimâ introductum est constitutione, ut si Princeps vindicari in aliquos severius contra consuetudinem pro causâ intuitu jusserit, tum non statim ii aut poenam subeant, aut excipiant sententiam, sed per dies triginta super statu eorum fors & fortuna suspensa sit, ut interea placato Imperatoris animo locus relinquere-
tur misericordiæ: ita auctore sua foreq; D. Ambrosio, de cuius libertate ac *παρρησία* in Theodosium Imperat. vid. Theodoret. *Eccles. hist. lib. v. c. xvii.* rescripsit Theodosius *l. 20. C. de pæn. Zosom. lib. vii. hist. Eccles. c. xxiii.* non procul à fine. A Sidonio Apollinari *ep. vii. lib. i. ff.* tribuitur S^Cto Tiberiano: *ex vetere S^Cto Tiberiano triginta dierum vitam post sententiam trahit.* De poena hac delata à Tiberio in decimam diem legimus ap. Tac. *iii. An. c. li. 3.* Sueton. *Tib. c. lxxv.* (ubi pro *Senatusconsultum actum est*, Nonnii Codex membraneus legit: *Senatus Consulto cautum est.*) Dio *lib. lvii. p. m. 707. f. fin.* Explicationem, quâ conciliat Sidonium cum hisce scriptoribus summus Cuiacius *V. obs. cap. ix.* non admittit Savaro in notis ad Apollinarem. *p. 56.* Ut ut sit, sanctissima

firma est constitutio, quæ iram cohibet effrenem. Optime Seneca, *lib. II. de Ira c. XXIII. in suspensio ira retinenda, potest enim pœna dilata exigi, non potest exacta revocari.* Quo nomine & laudat hunc Theodosium Autor III. Vir. Epitom. Impp. p. m. 547. ff. libri. quod modicâ dilatione emolliverit severè præcepta. Add. Val. Max. *lib. VIII. c. I. n. ult.* A. Gell. *lib. XII. c. VII.* & doctas Forstneri notas ad Tac. *lib. III. p. m. 304.*

IX. Quod de Imperatore supra diximus, id nec aliis superiorem non recognoscentibus denegandum erit. Non datur appellatio à Rege Gallia. Tholos. de Appell. *l. III. c. VII. n. 5. p. 307.* Arnif. de Statu Regni Gall. *c. VI. f. 6. n. 28.* De Rege Hispaniæ vid. Vasq. *l. Contr. XXII. n. II. & contr. XLVIII. 33.* Parlador. *l. Rer. quotid. c. III. n. 12.* Nec Rex Daniæ agnoscit Cæsarem superiorem. Cum quidam, non ita pridem à Sententia in superiori iudicio lata appellasset ad Cameram Imperialem, omnibus bonis ut contemptor Maiestatis multatus est. Eos certe, qui omni nisu ad Imperatoriam Maiestatem firmandam, Regem Daniæ homagium præstitisse Imperatori eumque agnovisse superiorem inde deducunt, quod de manu Friderici Barbarossæ Petrus Danorum Rex coronam acceperit, non satis firmo niti fundamento vereor. In nomen Petri post Cuiacium omnes reliqui coniurasse quasi datâ industriâ videntur, cum tamen nullus in tota serie Regum Daniæ istius nominis inveniatur. Et licet de Suenone iis sermo sit (esse debet) tamen simulato colloquio eum à Friderico ad hoc inductum scribit præcipuus rerum Danicarum scriptor Saxo Grammat. his verbis: *reversus in regnum Sueno (non Petrus) fidem Cæsaris apertâ fraudis expro-*

A Regibus.

Rex Daniæ an Cæsari homagium præstitisse.



*bratione damnavit, initasq; cum eo pactiones obsequij negatione subvertit, in eas se conditiones fallaciter inductum affirmans, in quas Danicorum Regum adhuc nemo concesserit. lib. XIV. p. 138. Vide de cætero Carpzov. ad L. Reg. c. VII. sect. XI. n. 8. cap. III. Sect. XIII. n. 13. Cuiac. de Feud. pr. Froben. de Homagio n. v. lit. d. Neque est, quod opponas responsum datum in Comitibus Ratisbonensibus Regis Daniæ Legato, dicenti se nomine Regiæ Danorum Maiestatis votum dare: nullum eo in loco Maiestatem præter Casaream agnosci, cum id restrictum fuerit ad Imperium Romanum, cuius intuitu Regibus dignitas tantum Regia tribuitur *Königliche Würde*. Recess. Imp. de anno 1526. §. weiter als *Königliche Würde*.*

An à Regibus Rom. appellatio concessa.

X. Idem de priscis olim Romanorum Regibus asseverandum, apud quos initio omnem Civitatis potestatem fuisse constat ex l. 2. §. 14. *D. de O. J.* provocationem scil. ab eis non fuisse. Horatii exemplum, quod ex Liv. lib. I. p. 26. adduci solet, quando ad populum provocavit, nihil Ciceronem, Senecam, Valerium Maximum *lib. I. cæterosque sequaces Tiraquellum, Grotium lib. I. de Jur. B. c. III. n. 20.* non procul à fine, omnino juvare potest, existimantes à Rege ad populum appellandi jus fuisse, cum ab illa extrema ad populum adversus Magistratum, ipsosq; Consules, l. 2. §. 16. *de O. J.* provocatione Valerius Consul primum Publicolæ, vel, ut Autor *III. Vir. cap. xv. Liv. lib. II. c. 119.* firmatque Thyfius ap. Val. Max, *lib. IV. c. I. n. I.* Publicolæ nomen acceperit, cum ante ad Regem à populo factam fuisse provocationem ex Scipione Gentil. *III. de Jurisd. c. I.* ostendat Befoldus. Tullus autem Rex, ut declinaret invidiosum iudicium, cum facinus intra gloriam esset, & vix-

Provocatio ad populum.

& virtus absolvere videretur eum, quem causa damna-
 ret, ad Duum Viros hoc nomine creatos, & ab iis ad
 populum devolvit negocium. Liv. *libr. 1.* firmatque vel
 maximè fidus & cautus Halicarnassensis *lib. 111.* sicut &
 aliàs solent principes suspicionem in causis dubiis à se
 remove, exemplo Tiberii apud Tac. *111. Ann. 6. x. ff.* ad-
 de not. Forstn. *p. m. 236.* Sic nec Dolabella audet cædibus
 duabus liberare contaminatam; nec punire eam justo
 dolore impulsam. Val. Max. *lib. 119. c. 1. n. ult.*

XI. Geminâ etiam potestate, ut ut temporariâ
 pollebat apud Romanos, ultimum illud rebus trepidis
 auxilium, dictatura (quam vocem Pœanius Eutrop.
 Metaphrast. *lib. 11.* ubi agit de Papirio Cursore, *p. m. 71.*
 reddit *δικτατορίαν.* add. Meurs. in Gloss. Græc. Barbar. *p.*
128.) maior hoc nomine Consulatu, qua nihil similis
 dici posse potestati Imperatoriæ scribit Eutrop. *libr. 1.*
c. XIV. Sic Appius Claudius, cum aliter vulgi furores
 compescere non valeret, inquit: *dictatorem creemus, à*
quo non est provocatio. Liv. *lib. 11. c. XXIX.* add. *l. 2. §. 18. de*
O. 1. accipitur autem ea vox pro appellatione, sicut &
 promiscuè accipiuntur in *l. 40. §. 1. de pact. l. 1. §. 1. l. ult.*
§. 1. D. Appell. l. 1. §. 2. C. eod. Brederod. de synonym. vo-
 cis Appellationis. De hac olim usitata interponendæ
 appellationis formula: *Provoco, vel Appello,* videatur
 Briff. Formul. *lib. V. p. 465.* Satis est si dicas *appello in l. 2.*
D. d. t. Adde Giessebert. Peric. Statut. Dithmars. *art.*
XIV n. 136. & art. XV. n. 159. Qua usus Horatius, usus
 M. Fabius, Q. Fabii Magistri equitum Pater, non ipse Fi-
 lius: *tribunos plebis appello & provoco.* Sinistre autem
 ideo Dictatoris potestatem subiicit Tribunis plebis Bo-
 dinus 1, *de Repub. c. X. p. m. 257.* Uno verbo huic occurrit

A dictato-
re.

Appellatio
& provo-
catio syno-
nyma.



Epitomaator Livii *lib. VIII.* quem multi *Florum* volunt
Fabius Romanum profugit, cum causa parum proficeret, popu-
le precibus donatus est. Aperte *Liv. lib. VIII. ff.* his ver-
 bis introducit dictatorem, postquam prolixè tribunis
 exprobrasset, quod sua intercessione violarent Rom. im-
 perium: *vicit tandem imperij maiestas: non noxæ eximitur*
Q. Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnavit: dam-
natus donatur populo, precarium, non justum auxilium fe-
renti. Val. Max. *lib. II. c. VII. n. 8.* & ita Eutropium intelligo,
 cum ait: *capite à dictatore damnatus ingenti populi favore*
liberatus est, lib. II. cap. VI. scilicet reis quandoq; solet ma-
 jor præstari favor, quàm pro crimine iis debetur, secun-
 dum Vellei. *lib. II. cap. XLIII. 3.* Nec Bodinum juvare
 poterit Minucii Magistri Equitum tempore secundi
 belli Punici exemplum. Peculiare enim hoc fuisse de
 duobus dictatoribus ob suspectam iis nimiam, ut vi-
 debatur, Cunctatoris cunctationem, patet ex Casaub.
 edit. Polybio *lib. III. p. 235.* Addatur defensio Arnifæi,
 qua vindicat dictatoriam potestatem in præl. *pol. cap. II.*
sect. XV. n. 25.

XII. Licet itaque commune Appellationis sit
 beneficium, quod nemini denegandum, nec statuto
 quidem tolli potest in præiudicium superioris (ut ut pa-
 ctum de non provocando valeat. *l. ult. §. ult. C. de Temp.*
appel. l. 1. §. 3. D. à quib. app. non lic. Besold. de appell. *cap.*
VI. n. 5.) adeo ut optimâ lege Camera Imperialis, si quis
 imperii status subditos sibi, carcere, jureiurando, minis-
 ve ab appellando abstinere cogat, gesta eiusmodi irrita
 habeat, appellationisq; persecutionem nihilominus in-
 tegram illibatamque conservet. Ord. Cam. *part. 2. tit. 28.*
in pr. §. und die weit bis her. Gail. *J. obs. XXXV. n. 12.* Wurma-
 fer.

ser. i. pr. for. tit. XXIV. obs. XXIX. Befold. tr. d. c. ii. n. 15. p. m. 55. nihil tamen quicquam obest, quo minus ipsa naturalis ratio restrictionem hic quandam concedat: cum & lex Civilis, quæ non valet præcipere, quod vetat Jus Naturale, aut prohibere, quod præcipit, possit circa ea disponere, arctare & circumscribere, eoque malitiis hominum obviam ire. Non statim jus positivum contrariatur juri Naturali, quando vel à generalitate eius recedit, quodque generaliter constitutum, æquitatis quodam temperamento restringit & coarctat. l. 6. D. de just. & jur. quod clarum facit exemplo consensus paterni necessari in nuptiis justis, Ampliff. Dn. Biccus Fautor magnus (quem publico bono studiosissimum Virum Deus vigori ut reddat, nemo est, qui non toto animo mecum voveat,) in Aureis suis vere Aureis prelog. 1. 44.

Ius positivum ut seorsum iuri naturali.

XIII. Laudabiles extant in multis Imperii Civitatibus consuetudines, validumque privilegium ad superius tribunal neminem admittens, nisi vel appellans certam pecuniæ summam deponat, cuius periculum facturus est. Hering. de fideiuss. 6. X. n. 156. Coll. Arg. de App. th. 18. vel iuramentum appellationis præstet, vermittelst des Appellation Eids / quod non malitioso animo litem protrahat, sed bonam, justamque se fovere causam credat. Bachov. ad Tr. Vol. II. disp. XXXIII. n. 1. lit. a. & th. 3. Befold. de appell. c. VIII. n. 6. p. m. 267. quibus tamen addi velim Gail. l. O. CXXIV. Tali privilegio de juramento ac cautione appellationis gaudent ex concessione Maximiliani II. Argentinenses: **Das Meisster vnd Rhat zu Straßburg von denen allen so zu appellieren sich unterstunden / Gelübd und Eyd nehmen mögen / daß sie von denselben urtheilen und Processen niche gefährz**

Iuramentum appellationis.

Refinitio

stet



gefährlich / oder dem Widerpart ihrer Gerechtigkeit zu
verhinderung oder verlängerung appelliren; sondern daß
sie nicht anderst wissen/dann sie eine gerechte Sache/und
sie weiter Rhat zu suchen/nothdürfftig seyn: auch kost und
schaden gnug thun wollen. De Electore Moguntino vid.
Limn. lib. III. c. IV. n. 7. daß der Appellant gelobere.

XIV. Nec impeditur finis Magistratum judi-
cumque, qui est, esse debet, ut ad beatè, tranquillèque
& securè vivendum in Republ. de justitia administran-
da protegendaque sint quàm maxime solliciti: cum
nunc adeo felix non sit seculum, ut sua sponte homi-
nes sibi ab alienis temperent. Pessimo nunc, credo,
consilio, omitteret prudens olim legislator pœnam
parricidii, forte non tam sinistre ominatus de pravitate
humana, quasi non credendum sit, facere nos ea posse,
quæ facta lædunt pietatem, verecundiam, & sunt con-
tra bonos mores, ut ait Papin. in l. 15. D. de cond. inst. vid.
Bodin. l. Rep. c. I V. p. m. 33. & Meurs. Solon.

XV. Si ergo ad petulantiam civium nimis ini-
que indulgentium suæ causæ refrenandam, justitiæ uti-
litatisque ratio posceret, ut eorum judicia & sententiæ
robur aliquod ac momentum ab eo desiderarent, cui
se, ut supremo Magistratui inferiorem agnoscunt, cur
non posset is, qui summæ rei præest, juri quasi detrahen-
do, inferiori non nihil addere? cum id, quod publice &
communiter omnibus prodest, excellentius & divinius
existimetur eo, quod quibusdam sit utile, per Nov.
XXXIX. cap. I.

Privile-
gium.

XVI. Ut ergo omne privilegium est ab aliquo. §.
6. Inst. de jur. N. G. & C. ideoq; privilegium dicitur, quod
concessam privet legem, dum seorsim à lege generali
ali-

aliquid statuitur. Schneid. ad *J. jus autem Civile Inst. de I. N. G. n. 12.* Gell. *X. Noct. Att. cap. XX.* Meurs. Gl. Græc. barb. *πριμιγγιλιον.* Isidor. orig. *lib. III. c. XVII.* Fest. Fragm. *p. m. 149.* vocaturque jus singulare in *l. 16. D. de leg.* ita & in hoc privilegio de non appellando considerata est persona conferens, & recipiens ex natura relatorum, cum dans requirat accipientem. Non quivis ergo potest hoc indulgere seu conferre beneficium. Cum igitur penes Imperatorem resideat Maiestas, & ille poterit concedere privilegia. *l. 1. §. ult. vulgò finali* (de barbara hac vocis acceptione Clar. Ernst. in not. ad Val. Prob. *cap. VI. Fin. l. 3. de Const. pr. Nov. VI. c. II.* unde ab eo dependere dicit Vultei dignitates. *conf. sup. n. 3.*

Quis conferat?

XVII. Neque tamen cum Bodino *1. de Rep. cap. x.* aliisque faciendum est, qui concludunt per concessionem privilegiorum de non appellando Maiestatem enervari, esseque communicabilem: distinguit enim ex Arumæo *disc. v. ad Aur. B. concl. 13.* Daniel Otho *cap. ix.* inter ipsam formam Maiestatis, quæ consistit in dignitate & superioritate Imperatoria, eiusque effecta, quæ sunt signa supremæ potestatis. Ex extrema provocatione, aliisque juribus Maiestatis aliquibus concessis non statim ipsam colliges Maiestatem: quamvis enim horum alii participes fiant per concessionem; superioritas tamen ac dignitas, adeoque ipsa Maiestas remanet penes concedentem. Scilicet largitur ea Imperator per concessionem & modum beneficii, reservatâ sibi præeminentiâ & superioritate, ut ita loquar: quâ non tam maiestatem, quàm laborem, curas Principis minui ipse asserit Bodinus. *Befold. d. tr. c. 11. n. XXI.* Reink. *lib. 1. cl. v. c. VI. n. 103. p. 638. §. fin.* add. eund. in *Append. ad lib. 1. cl. 11. c. 11. concl. 11. p. 87.*

Bodinus refellitur.

C

XVIII.



*Defendi-
tur Daniel
Orho.*

XVIII. Nimis forte acerbus, ut aliàs, ita hîc cen-
sor videri Limnæus posset in reprehendendo Daniele
Othon. *cap. xvii. p. 547.* quando male referri inter in-
communicabilia Maiestatis censet donationem laureæ
Poeticæ, cum vi privilegii Cæsarei de potestate hac sibi
communicata cum aliis gloriatur Academia Argento-
ratenfis: Otho enim de incommunicabilitate (ut ita lo-
qui liceat) quod ad jus ipsum, non qua exercitium, in-
telligi vult.

XIX. Posse igitur Imperatorem salvâ Maiestate
hoc privilegium concedere, ne ad se appelletur, conclu-
dit Rumel. ad A. B. *part. i. diss. iix. thes. 5. &*, quem citat
diss. ii. part. ii. Andreas Knich. de Sax. non prov. c. i.
n. 17.

*De præfe-
ctis præto-
rio.*

XX. Cæterum hanc appellationis restrictionem
non adversari Juri Naturali evincit non semel jus i-
psum Justinianicum. Sicut olim tribunus Celerum
Regi aderat, cuius ope nitebatur; dictatori Magister
Equitum; ita Imperatori præfectus prætorio. *l. 2. §. 19.*
D. de O. J. Al. ab Al. Gen. dier. lib. iv. c. xxiii. Dominus
Flocc. de Mag. Rom. qui adscribitur Fenestellæ. De Præ-
tore & Prætorio videatur Nov. *xxiv. pr.* Festus *p. m. 378.*
Vopisc. in Aurelian. *p. m. 282.* quod describit Lips. de Mi-
lit. Rom. *lib. v. c. 11.* Meurf. Gl. Græc. Barb. *p. 443.* Insti-
tutio autem huius præfecti prætorio primum fluxisse
scribitur ab Augusto Dio *lib. lv. p. m. 655.* fuitque proxi-
ma Principi potestas *l. 40. C. de decur.* Aurel. Vict. in
Vespas. *p. m. 513.* quam & præfecturam prætor. gessit Ulpia-
nus assessor & Juris Conditor, ut vocatur ab Eutrop. *lib.*
ix. ff. sub Severo Imp. l. 4. C. Loc. cond. Lamprid. vit. eius.
Nulla dignitas huius potestati æqualis, quam magnifi-
ce ex-

cè extollit & deprædicat ex Cassiod. vi. *Var.* III. Marcellus Donat. in Suet. Galb. c. XIII. p. m. 747. De autoritate præf. præt. vid. Barnab. Briss. III. Formul. Petr. Fab. r. Sem. I. II. III. & latissimè Panciroll. *Not. utr. Imp. c. I.* a deo ut nihil movere nos debeat suspectus Lampridii locus in Heliogabalo p. 201. quem liceat adscribere: *adhibuit ad potandum post cœnam præfectos prætorio, ita ut si recusarent, magistri horum eos corrigerent.* Quid, habuerene magistros? Quidam ausus est legere, *magister morum.* Ludovicus autem Carrio vocem *horum* expungit, locumque intelligit de conviviorum magistris, firmatus autoritate Modii & Lipsii. Vid. Carr. *Antiq. lect. com.* II. c. IV. qui invenitur in Thes. Crit. Grut. Tom. III. p. m. 34. Sicut nec dignitati eorum ideo quicquam decedit, quod idem spurcissimus Imperator saltatores huic officio adhibuerit. Lamprid. p. 201. *ed. Sylb.* Add. Annot. Cl. Ernst. Affinis honorandi ad tit. Dig. de off. præf. præt. *th.* 46. De quo Principatum vitio indignos provehendi vid. Forstn. ad *lib.* XIII. *An. c.* IIX.

XXI. Nec tantum præfuit hic Magistratus disciplinæ militari, quo de locum Tac. de Seiano accipio *An.* Ab iis non appellatū. IV. *cap.* II. sed etiam judiciis, tantam habens auctoritatem, ut ab eo appellari non potuerit. Gudel. *lib.* V. *jur.* N. c. V. l. 19. & 30. C. de Appell. l. 16. C. Theod. *lib.* XI. t. XXX. l. un. C. de Sent. præf. præt. Cui. *lib.* XI. Obs. c. III. Gail. I. O. Wesenb. D. à quib. app. non lic. n. 3. Treutl. *disp. ult. th.* 4. *ibid.* Bachov. Brederod. de App. *part.* I. *tit.* XV. Tholos. III. de Appell. XII. Ratio est in l. un. D. de off. pr. præt. *credidit namq; Princeps, eos qui ob singularem industriam exploratâ eorum fide & gravitate ad huius officij magnitudinem adhibentur, non aliter iudicaturos, quàm ipse foret*

*Remo Ge-
tur error.*

judicaturus. Ex qua lege, quæ non concessam provocacionem olim à Prætore, audeat asseverare non nemo, equidem non video: cum ab eadem opinione jus Civile manifeste recedat. A prætore enim ipso & Urbano & peregrino appellari potuisse vel ad præfectum Urbi *l. 17. C. de appell.* vel ad Consules notum est. Sic Mamercus Consul appellatus legitur à Sardino prætore ap. Valer. Max. *lib. VII. c. VII. n. pen.* Langl. Semestr. *VII. V.*

*nec à Præf.
augustali.*

quis ille?

XXII. Nec à Præfecto Augustali concessa deinceps fuit appellatio. Nov. *XXIII. c. III.* Is autem dicebatur, cui Princeps summum imperium in Ægyptum dedit. Titulus in *D. & C.* cui add. Cuiac. *in Cod.* Dicitur Augustalis, quod Ægypto in provinciam redactâ ei regendæ primum fit ab Augusto constitutus ex equitibus, non Senatoribus. Eutrop. *lib. VII. c. VI. n. 7.* Tac. *XII. An. c. LX. n. 2.* Cur equestris dignitatis Viro, non Senatori commiserit? propter gentis scilicet levitatem: vide Dion. *lib. LI. p. m. 521. & lib. LIII. p. 577.* Rosin. *lib. VII. Ant. c. XLVI.* De horum natura vid. Curt. *IV. l. 30. Not. Fr.* Cur Ægyptus in Provinciam non redacta à Julio Cæsare? vid. Suet. Jul. *c. XXXV.*

*nec à Sen-
nata.*

XXIII. Ita etiam beneficio quodam Principum à Senatu appellatio non fuit permessa. *l. 1. §. 1. à quib. app. non.* Autoritas autem Senatus non semper fuit eadem. In prima Romulus institutione Senatores adhibuit, ut quorum consilio omnia ageret, secundum Eutrop. *lib. I. pr.* Cur ita dicti, sicut & de nomine Patrum, commodior aliàs dabitur forte differendi occasio. Judicium de iis tale est Plutarchi: *neque ad Remp. adhibebantur Senatores, sed nomen modo & speciem honorificam, ac de more potius, quam sententia dicenda causâ cogebantur in Senatum.*

atum. Romulus enim ut libitum, Romanis imperi-
 ravit. Tac. III. *An. c. xxvi, n. 5.* nullaque adhuc lege cer-
 tâ, manu regis omnia gubernata. *l. 2. §. 2. de O. J.* Idem *Eius auto-*
 de Senatu sub primorum Imperatorum imperio pro-
 dit non semel Tacitus, cum illi, ait, magna verba
 nomina, sed re tantum inania mansere *1. histor. LVII, 2.*
 Sub Iulio & Augusto languere cœpit autoritas Sena-
 tus. Conservatur à Tiberio. Suet. *c. xxix.* quem tamen
 ordinem se sublaturum esse aliquando minatus est.
 Suet. *c. xxxvii.* Nero & hoc instituit, ut omnes appella-
 tiones à iudicibus ad Senatum fierent. Sueton. *Neron.*
c. xvii. ex Tac. *XIII. An.* Alexander ab Al. *Gen. dier. lib.*
VI. c. XXI. §. f. Hadrianus postea voluit, ne ab ipso Se-
 natu appellaretur. *d. l. 1.* Princeps enim appellari vide-
 tur, dum Senatus appellatur, quia pars est Senatus *l. 8. C.*
de dignit. Nov. LXI. Hic autem Adrianus Senatus fa-
 stigium in tantum auxit, ut cum Tatianum ex præfecto
 prætorii ornamentis consularibus faceret Senatorem,
 nihil se amplius habere, quod in eum conferri posset,
 ostenderet. Spartian. *Adrian. p. m. 12.* De autoritate
 & potestate Senatus Romani vid. Tholos. *lib. XLVII.*
Synt. c. xxv. Et doctissimum Neapolitanum Alexan-
 drum *Gen. dier. lib. IV. c. xi.*

XXIV. Ut alios ex jure Civili taceam, legimus et-
 iam aliquibus ob singularem affectum hoc jus concess-
 sisse Imperatores. Tiberius certe in tanto honore ha-
 buit Marcum Silanum (qui postea suam Virtutem &
 nobilitatem, ubi in Græco, pro voce *συγγενείας* legit Sylb.
εὐγενείας, gravem esse Caligulæ sentiens, se interfecit) ut
 nollet ab eo provocari posse, quod si esset provocatum,
 rursus ei cognitionem earundem rerum credidit, sive
 (quod

(quod ad Græcum textum propius accedere videtur) nullum unquam judicare vellet, qui ab eo provocasset, sed ipsi rursus talia committeret. Xiphil. Epit. Dion. in Vit. Calig. pag. m. ed. Sylb. 247.

XXV. Neque tamen hoc eo extensum volumus, quasi quibusvis Magistratibus insolentibus ac imprudenter sua agentibus tuto hæc potestas committi debeat. Triste exemplum occurrit apud Valerium Maximum *lib. II. cap. VII. num. 15.* ubi legio universa ad Rhegium præsidii causâ missa in ipsa Urbe & clarissima populi luce securi percussa legitur, frustra provocante milite, ipsisque Trib. plebis leges sacras ad populum provocandi violari querentibus. Hic certe potius Carneadem, quàm Papinianum defensorem sibi quæreret Roma. Annon nimis liberali concessione Caligula magistratibus liberam concesserit jurisdictionem, ita ut sine appellatione iudicatum exequerentur? de quo Suet. *Calig. XVI.* Al. ab Al. Gen. dier. *lib. VI. c. XX. ff. judicent alii.* Philippus Hispaniarum Rex quibusdam permittens libere grassari in summi etiam Senatus auctoritatem, procul habitâ omni appellatione, qui quosvis ex eorum libitu etiam illustriores vitâ & bonis exuerent, funesto illi bello occasionem dedisse scribitur à Meterano ac Thuano *lib. XLI.* In hisce immoderatis concessionibus locus esse poterit quærelæ, de qua ex Blarero Besold. in sæpe citato tract. *cap. VII. n. 1.*

XXVI. Vix suspicionem apud suos evasit Imper. Galba commodius angustam ferens, quàm amplam fortunam. Tac. *i. hist. XLIIX. 6.* (quod & de Constantino notat Eutrop. *lib. X. cap. IV.* adde egregiam dissertationem Gruteri in loca Taciti insigniora, quintum locum

*Restriccio
appellatio-
nis ne sit
nimia.*

*Exemplo
Caligulae.*

Philippi.

Galba.

bonp)

cum

cum occupantem, ad illa verba: *magistratum corrumpere Virum.*) dum liberti eius pravis judiciis iniuriam Civibus facerent. Arroganti id ambitiosi Capitonis & Nymphidii insolentiæ ex parte debet, quod invisus aliàs nemini, male tamen audiat. Scilicet cum non nemo ab altero horum jus dicente, justissimè, ut sibi videbatur, provocasset, Capito sepositâ reverentiâ, & obsequio, quod Cæsari suo debebat, hac insolenti voce insultavit appellanti: *Age, dic causam apud Cæsarem,* eumq; statim damnavit, ut verum sit, quod observat Vellei. *lib. II. cap. XLVII. n. 4.* exemplo Pompeii in condemnato Milone, reum sæpe non magis iniuriâ facti, quàm iudicis voluntate damnari. Ut ut autem Galba in hos animadvertit, culpa tamen nihilo minus in eum aliqua coniecta est, quod & principum sit curam agere, non tantum ne privati, sed ne quisquam iniuriam faciat: quippe cum nil eorum intersit, qui iniuriam patiuntur, à quo nam accipiant. Xiphil. *Galb. pr. p. m. 303.* addatur pars orationis Mœcenatis ad Augustum apud Dion. *L II. p. m. 551.* Cavendum ergo & hîc Principi, ne tribunalia patiatur turpissimo mercimonii genere velut ad licitantium arbitria prostitui, criminave ac delicta vi, ambitu, pecunia & sordibus tuta esse. De hac moderatione (qua voce utitur Imp. in *l. 1. C. unde Vi,* ut mirum forsan alicui videri possit, cur una omnium fere sit vox, *moderamen inculpata tutela*) & cautela satius est legere notas Politicas Forstneri ad *lib. III. Tac. p. m. 190. & seqq. & lib. XIII. An. p. 240.* quàm paulo longius ab instituto recedere.

Cautela.

XXVII. Quo nomine nec reprehendes Augustum vere Augustum, quo nullus facile in bellis felicior,
aut

De præfe-
ctis urbi.

Suetonius.

explica-
sur.

Correcto-
res.

aut pace extitit moderatior. Eutrop. *lib. VII. c. VII. n. 2.*
 contra quam ille pace pessimus apud Tac. *ii. hist. lxxxvi. n. 4.* cum raro hæc virtutes esse junctæ soleant. Plin. Paneg. Trai. *c. IV. § 5. 6.* Is enim suatore & Autore Meccenate præfectum Urbi, quem *πολιάρχον* vocat, è primariis ele-
 git, qui dignus esset ad disceptandas eas causas, in qui-
 bus est provocatio. Quare non dubitat post Lipsium, Casaubonum Cl. Berneggerus apud Sueton. Aug. *cap. xxxiiii. s. f.* iis in verbis: *is appellationes Urbanorum liti-
 gatorum prætori delegavit urbano, legere, Præfecto Urbis,* cum & constet, ad Præfectum Urbis pertinuisse omnem
 provocationem, omnesque appellationes. Vopisc. in Florian. *s. f. p. m.* 283. Guid. Panciroli. *notit. utr. Imp. cap. xxv.* etiam prætoris, ut supra *ex l. 17. C. de Appell.* non
 obscurum dedimus *n. x x.* Hunc Magistratum tem-
 poribus jam tum Romæ fuisse creatum legimus apud Liv. Dionys. Halic. Al. ab Al. *lib. VI. c. xx.* Quod au-
 tem Sueton. in vita eius. *c. xx xvii.* inter nova, quæ exco-
 gitavit Augustus, officia referat præfecturam Urbis, (de
 cuius officii dignitate, qua conspicuus fuit Meccenas, vid. loc. Tac. *VI. An. c. x.* Sam. Petit. *Var. lect. lib. III. c. V.*)
 seu urbicariam, ut appellat. *Imp. in Nov. LXII.* intelli-
 gendum est de immutata eius ratione, & novis officiis,
 quæ præfecto Urbis assignavit. Huius inter alia fuit,
 animadvertere non modò, quicquid intra Urbem, sed
 intra centesimum ab Urbe lapidem esset commissum.
l. 1 §. 1. & 4. D. de off. præf. Urb. Dio *lib. LII. p. m.* 347. hic
 habuit, sicut & præsides provinciarum (quorum non-
 nulli vocati sunt *correctores*, quorum mentio fit in *l. 10. D. de off. præf.* Inveniuntur fuisse temporibus Aure-
 liani *Imp.* apud Eutrop. *lib. IX. c. X. n. 6.* *Tetricus Corre-
 ctor*

Et or Lucania) De horum officio vid. Meurs. Gloss. Græc. Barb. lit. K. p. 269.) jus deportandi. De præsidibus est lex 1. §. 2. de pæn. l. 1. pr. D. quand. appell. de Præfecto Urbis l. 2. §. 1. de pæn. l. 6. §. 1. D. de interd. & releg. junct. l. 1. pr. de Off. Præf. Urb.

XXIIX. Hæc latius non nihil deducta eo spectant, ut ostensum eant, posse publicâ suadente & utilitate & necessitate inferioribus à Maiestate eam tribui potestatem, quâ immodicis Civium litibus terminum, quam aliàs statuere erat Maiestatis, statuunt ac figant, ne Imperator multitudine appellationum obruatur, frequentibus pro Republ. occupationibus distentus. l. 32. pr. D. de Appell. cum nec ei omnibus superesse sit datum negotiis Besold. cap. II. n. XXI. Certè cuncta Magistratum munia in se trahens Princeps materiam prædandi patefacit. Tacit. XI. A. V. 1. quo de conqueritur Giessebert. peric. Stat. art. IV. n. 201. Egregium fuit, quod Nero futuri Principatus formam præscribens, non se negotiorum omnium iudicem fore dixit. Tac. XIII. An. c. IV. n. 2. Sed non tam præstitit promissum, ut & causas ab ordinariis iudicibus ad Uxorem & aulae suæ quædam mancipia avocarit: cui & adversus Senecam, lævienti intimam consiliorum erat Poppæa & Tigulinus ob malas artes, quibus pollebat, quibusque Nerone scelerum societate obstringebat, Principi carus. Tac. XV. An. LXI. & XIV. An. LVII. 1. Adde de Scto Romanorum facto post mortem Heliogabali ex Lamprid. & Herodian. in vit. ei. Arnif. de Rep. cap. II. Sect. XII. n. 40.

XXIX. Quod ergo ob singularem industriam, exploratam fidem olim nonnullis concessum videmus, id inter alia ab Imperatore speciali concessione concess-

D

sa &

*Judicia bene
me cōstituerunt
antur.*

26.
sa & indulta. (quæ longâ serie deducta legis apud Limn.
*lib. IV. cap. IIX. Reink. de Reg. S. & Eccl. lib. I. cl. V. cap.
VI. n. 9. seqq.*) Status Imperii habent, scilicet privilegi-
um de non appellando.

*Quinam
status im-
perij.*

XXX. Vocem Status non sumi eo modo, quo a-
pud Tac. *i. hist. x. Ciceronem, Latinos & Jctos*, jam
notum est, nec pro ordine Civium: de quo Wolfg. Laz.
Comm. Reip. Rom. lib. XII. cap. XXXIII. vel alio modo,
Daniel Otho circa status imperii definiendos arripit
*cap. XVII. sententiam Gailii lib. I. O. XXI. n. 2. & Viet. de
caus. exempt. imp. concl. 5.* ut ii sint, qui matriculâ imperii
comprehensi, ut Cæsari in Comitiiis differenti, consilio
& consensu pro temporum varietate assistant: vel qui,
secundum alios, cum Imp. statuendi de Rep. vel sessuræ
ac dicendę sententię jus habent in Comitiiis. *Reichs Abs-
zu Cöln de Ann. 1512. Germanice vocantur Stände des
H. Römisch. Reichs/ & simpliciter Stände Rec. Imp. zu
Augsburg de anno. 1555. §. 20. Diemeil aber.*

*Matricu-
la.*

XXXI. Dominus Limnæus *lib. I. Jur. P. cap. VII.
num. 91.* ex sola matriculæ inscriptione statum Imperii
agnoscit. Matriculæ vox ab Imp. pro catalogo, indi-
ce usurpatur in *l. 3. C. de agent. in reb. lib. XII.* Sic Ma-
tricula decurionum, quæ omnia decurionum nomina
continebat. (De matricula videatur Cui. in *lib. XII. C. de
Primicerio. sub fin.*) & album vocatur *tit. D. de Alb. scrib.
Album Curia. l. 46. C. de decur.* Sic & Album Senato-
rum, ap. Tac. *IV. An. XLV. n. ult.* quod Dionii dicitur τῶν
βαλευόντων λεύκωμα *lib. LV. p. m. 629.* qua de voce Julius Pol-
lux *lib. IIX.* Album judicum Suet. Claud. *c. XVI.* Citha-
rædorum, idem Neron. *c. XX.* Add. Coras. *IV. Misc. cap. VI.*
Limnæus *I. Jur. Publ. c. VII. n. 66.* Hæc obiter.

XXXII. Alii ad fecernendos Status Imperii qua-
tuor

tuor inseparabilia adjuncta requirunt, quæ recenset Daniel Otho *cap. xvii.* Reink. *lib. i. cl. v. cap. i.* Limn. *l. c.* pensionem tamen tributorem, & possessionem territorii cum omnimoda jurisdictione non esse perpetuam, concludit Limn. *loc. cit.* & latius persequitur Johannes Guntherus de Comitibus Imperii num. XII. Alii formam statuum imperii in sessuræ Comitialis & sententiæ communicatione actuali tam firmiter statuunt, ut si absit vocatio ad Comitia, status Imperii non sit. Reink. *loc. cit.* Petr. Denais. *jur. Cam. tit. 287. verb. Sessio. n. 3. p. m. 343.* Unde acris & inter summos agitata disputatio de Rege Bohemiæ. Cum enim is ad Comitia Imperii hodie non vocetur. Vid. Dan. Oth. *c. xiiii. p. 465*; status hic esse negatur ab Arumæo, quem sequitur Reink. *l. c. n. 30. cap. iiii.* quem cum seipso committit doctiss. Limn. *d. l. n. 94. & l. iiii. c. iix. n. 22.* quod illum inter status Imperii referat *lib. i. cl. iv. c. xxi. p. 1524.* Statum autem esse imperii Goldastus, ex Gevoldo de Septem V. *cap. ix.* latè defendit Limn. *loc. cit.* Circa hoc negocium non absurde forte diceres, distinguendum esse inter Regulam, & exceptionem à Regula, cum Rex Bohemiæ eo privilegio gaudeat, ne vocetur ad Comitia Universalia: nec tamen desinat esse Status Imperii.

Varia opinioniones circa Status Imperij.

An Rex Bohemia.

XXXIII. Hanc litem autem distinctione inter strictè & latè sumtos status elidit Cl. Carpz. ad L. Reg. *c. v. Sect. xi. n. 28. & Sect. iix.* quâ adhibitâ distinctione Nobiles immediatos non absone dixeris Status Imperii. De qua controversia agit egregius Juris publici conditor Limn. *lib. VI. c. III. à n. 9.* Rumel. ad A. B. Besold. *Thef. pr. Reichs Stände. & sup. lit. Drey Reichs Ritterschafft.* Daniel. Oth. *c. xix. p. 650. & cap. xiiii. p. 465.* quam litem nunc non facimus nostram.

An nobiles immediati.

XXXIV. Cæterum sicut Imperatores olim Viros illustres Senatoresq; corporis sui partem agnoverunt. *l. 5. C. ad L. Jul. Mai.* cum ipsi se ut pars Senatus. *l. 8. C. de dignit.* inter Senatores numeraverint: (quod de Tiberio refert Suet. *cap. xxix.* qui Q. Haterium, cuius elogium ap. Tac. est *lib. IV. An. c. LXI. n. 2.* ita alloquitur: *ignoscas rogo, si quid adversus Te liberius, sicut Senator, dixero.* recte, nisi ultra modum humanitatis demissus, ut maximus nimiae civilitatis jactator Senatores & dominos vocare fuerit solitus, quos tamen ut homines ad servitium natos detestabatur. Tac. III. *An. LXV. 3.* Scilicet nemini ignotum est, quam plane se alienum gesserit hic simulationum magister ab iis, quas falso jactavit, virtutibus, quod ex Tac. VI. *An. sub fin.* & Suetonio non uno in loco edocuit eleganter Cl. Bœclerus ad Sueton. *Tib. diss. pol. n. 11.*) ita & Status Imperii modò vocantur membra Imperii, quæ Imperatori uniuntur, *eingeleibte Glieder* vero *Kays. Majest. Rec. Imp. de an. 1541.* modò pia imperii capita, *Christliche Häupter. Rec. Imp. de anno 1524. §. weiter. ibi: und daß vor allen dingen.* quod nihil officit juramento Archiepiscopi Moguntini, ubi vox illa capitis tribuitur Imperatori: *ich will erwehlen ein weltlich Haupt dem Christlichen Volck / das ist / einen Römischen König zum Kayser erheben.* A. Buk. *tit. 11. cum* & ideo Imp. maioris declarationis gratiâ vocetur summum caput, *das Ober-Haupt. Rec. Imp. de anno. 1556. §. und nach dem auch. §. fin.*

XXXV. Quæ cum proprie huc non spectent, nec nos diutius detinebunt, quo minus ad privilegium nostrum, quod variis in hodierno imperio concessum est, pedem promoveamus; ita tamen, ut nec omnes eos
nume-

numeremus, sed aliquos, qui conditionato, vel absoluto privilegio gaudent, illo vel ratione modi, vel certaine summae.

XXXVI. Formam Appellationis & in eo sitam esse constat, ut ab inferiore iudice ad proximum & sic gradatim fiat. *l. 1. §. 3. l. 21. pr. D. app. Nov. xxvi. c. III. c. dilecti LXVI. Extr. de Appell. Wesemb. de App. num. 9. Gail. I. Obs. 199. Idem constitutum Jure Dan. Recess. Christ. III. art. V. ff. art. II. X. & vocatur Steffning till offverdommeren: adeo ut facta omisso medio nullas habeat vires: de reise till forgieffvis. Jure Canon. tamen omisso medio ad Papam appellatio est permessa. *c. si duobus 7. Extr. de Appell. Tholos. late lib. IV. de App. c. III. n. 4. c. 4. & 5. caus. 2. quest. VI.* Sic & hodie omisso medio ad superiorem valet appellatio, si intermedius vel palam justitiam deneget, vel ex causa suspicionis legitimae sit inhabilis. *Ord. Cam. p. 2. tit. 29. pr. Denais. n. xxxii. appellationis receptio. sub fin.* Ita Hymetius cum suspectum haberet Ampelium Urbis praefectum, rectius Imperatoris appellavit praesidium, cuius perfugio tutus, servatus est incolumis. *Amm. Marcell. in Vit. Valentin. lib. xxvii. p. m. 478.**

Recipiens privilegia conditionatum respectu modo

Appellatio facta omisso medio.

Quando valet?

XXXVII. Ex his sequitur ad minorem a maiori nec dari appellationem. *l. 1. §. 3. D. de appell. Perez. C. de appell. Tholos. cap. xiv. p. m. 447. nec ad parem. Viri spectabiles ad alios eadem spectabilitate decoratos appellationes transmittere nequeunt. Nov. xxiii. c. IV. Par enim in parem non habet imperium. l. 4. D. de Rec. arbit. quo spectat, quod Camillus Tribunus militum (tribuni dicti, quod ab initio tres tantum sint creati? mox enim quatuor, tandem sex, quem numerum eos non excessif-*

Ad pares nulla appellatio.

Tribuni militum quot.



se scribit & demonstrat Carol. Sigon. Comm. in Fast. ut
 ut Liv. lib. V. pr. circa annum ccc l. octo enumeret; cum
 tamen in Fastis Onuphrii & Huberti Goltzii *Sex* tan-
 tum eo anno ponantur, quo Livius *octo* designat: ad eò
 ut in l. 2. §. 25. D. de O. J. paulo liberarior videatur esse
 Pomponius, dum viginti dicit creatos; vel indoctus
 scriba pro VI. forte aut I I X. reposuerit XX.) Consula-
 ri potestate se Collegæ Furii imperium jure par posse
 impedire neget ap. Liv. lib. VI. c. xxiii. p. m. 262.

*Defendi-
 tur ratio
 Eutrop.
 cur duo
 consules.*

XXXIIX. Quod tamen ei vix patrocinari putem,
 qui Eutrop. in disputatione quadam inaugurali velli-
 cat, ideo quod lib. I. cap. IIX. scribat Consules creatos
 esse duos, *ut si unus malus esse voluisset, alter eum, habens
 potestatem similem, coerceret.* Eadem ratio est Dionysii
 Halicarnassæi s. fin. lib. IV. ne scil. nova libertas pericu-
 lose uni committeretur. Add. Jac. Pont. Philoc. lib. IV.
 c. XLII. Hotom. Antiq. Rom. lib. I. p. 250. plerumque
 enim maxima unius imperia noxia sunt libertati, cui
 Romani occurrere hoc novo magistratu annisi sunt:
 quare & Tac. *sub init. lib. I. An. consulatum & libertatem*
 coniungit, ut notet libertatem sub Consulibus tutio-
 rem & magis auctam factam fuisse: cum solitudo facile
 corrumpat potestatem; quid? quod nec tam facile me-
 tuatur ab eo periculum, qui lateri suo adiunctum ha-
 bet alium simili potestate, dum facile perspicit, se non
 omnia pro arbitrio suo gerere posse.

XXXIX. Eodem consilio Romani Bibulum Cæ-
 sari obiecerunt, collegamq; dederunt, qui non nihil im-
 pediret actiones Cæsarum ap. Vell. lib. II. cap. XLIV. n. 5.
 nisi quod in eo forte peccatum, non satis caute ab iis
 animadversum fuisse, qualem Cæsarum opposuerint:
 quip-

quippe quod Bibulus nec autoritate, nec calliditate, nec privatis viribus, nec publicâ gratiâ cum Cæsare potuerit comparari.

XL. Deinde nec verbum *coercere* corporalem tantum pœnam denotat, prout accipitur in *l. 200. Dig. de V. S. & ap. Nepot. XX. cap. V. n. 2.* Sed & levem emendationem, *l. 2. §. 2. D. de iniur.* & admonitionem officii sui. Et cum divisum fuerit eorum imperium, Daniel Otho *cap. III. jur. Publ. n. II.* notanter dicit Eutrop. *similem potestatem*, qua dehortaretur Collegam collega ab iis, quæ esse adversus statum publicum videbantur. Sic cum exosum videret Tarquinii nomen Romanis Brutus, autor extitit monendo Tarquinium Collegam, ut urbe cederet, & ita urbe migravit sine dedecore & contumelia, acceptâ ex arario certâ pecuniæ summâ, cui nonnihil de suo addidit Brutus. Vid. *Liv. lib. II. cap. II. Dionys. lib. V.* qui tamen aliam refert causam, cur hic Româ exire sit iussus. Variam autem vocis *coercere* significationem post Lexicograph. exponentem vide Marcell. Donat. in Suet. Aug. *cap. XLV. p. mih. Thes. Crit. Grut. 432.*

Vocis
coercere
ambiguus-
tat.

XLI. Quid? quod & illud *ἀξίωμα* (de gemina enim huic voce latina laborat Muret. *Var. lect. lib. VI. cap. II. Pont. Philoc. lib. IX. cap. XXIII.*) *par in parem non habet imperium*, læditur, ubi par se submittat alterius jurisdictioni. *l. 14. D. de juris d. l. 23. §. 4. D. ad Sct. Trebell.*

Ad pares
hodie da-
tur appel-
latio.

XLII. An autem hic mutuus consensus statim arguat subiectionem quandam, ita ut, si forte in parem compromiserit pars, superioritas & potestas tribuatur judici ad quem, vix turum satis erit asseverare, quo tamen inclinare videtur Tholos. *lib. I. de Appell.* A Rostochiensis civitate, Stralsunda ad Lubecam hodie appella-



pellatio interponi potest. ^{32.} Vix tamen inde Rostochium
Lubecæ subiectam concludes. Plura eiusmodi exem-
pla, quibus ad pares hodiernâ consuetudine deferatur
appellatio, recenset Giessebert. Peric. Statut. Dithmars.
art. XV. n. 36. seqq. add. ex Gulm. III. Symph. Limnæum
*lib. VII. c. LVI. n. 8. eund. lib. I. cap. IX. n. 60. & lib. VII.
c. XXXI. n. 7.*

XLIII. Cum autem una Civitas de consuetudine
solet consultare apud aliam, hoc non est proprie appel-
latio, sed in vim consultationis id fieri censetur, estque
voluntatis, non necessitatis, quam infert ad superio-
rem inferioris provocatio. Reink. *lib. I. cl. V. c. IV. n. 125.*
Scilicet possunt sæpè partes se mutuo convenire coram
iudice aliquo, qui tamen eorum non est dominus. Be-
sold. de Appell. *c. IV. n. 4.* Cur hac in parte pugnare jus
consuetudinarium cum Civili asserat idem Giesseber-
tus, non capio, nisi fortè id ex eodem fiat morbo, quo
solent hodiè non paucis nimis celeri iudicio adinere Ju-
ri Civili suum robur, quam præcipitantiam in novitiis
istis censoribus reprehendit, non semel Amplif. Tabor,
Fautor æstimandus in scriptis suis, quibus seculum hoc
illustrat.

*Intercessio
aliquid ab
appellatio-
ne.*

XLIV. Nec proprie ea est appellatio, quando reus
aliquis capitis damnatus auxilii causâ collegam dam-
nantis sollicitat, ne non suâ intercessione morti exima-
tur. Insignis profectò occurrit apud A. Gell. N. Att.
lib. VII. cap. XIX. locus. add. Cui. *XXI. Obs. XXXIII.* ratio,
quod appellatio fiat ad maiorem iudicem, intercedere
autem damnationi maioris iudicis possit etiam, qui mi-
nori est imperio, prout supra n. X. in causa dictatoris
demonstratum id fuit, ubi tribuni plebis intercessere.

Quos

Quos ideo creatos, non ut judicarent, sed intercederent, observavit A. Gell. XIII. N. Att. c. XII. & lib. IV. c. XIV. Antistius Prætor condemnatus à Senatu, intercessionem tribunicia morti eximitur. Tac. XIV. An. c. XLIIIX. De intercessione Tribunorum pl. vide Adr. Turneb. lib. XIIIX. Advers. c. XXI. Tholos. de Appell. lib. I. c. II. num. 5.

XLV. Sic cum Senatus Agrippæ Menenii (quem Val Max. lib. VII. c. IX. vocat Valerium, non Menenium) oratione, de qua Dionys. lib. VI. p. 207. Liv. lib. III. c. XXXII. inductus plebi hunc magistratum concessisset, eorum officium egregiè exponit Eutrop. lib. I. cap. XV. populus sibi, inquit Trib. pl. quasi *defensores* creavit, per quos tutus esse posset. Hinc scriptores aiunt eos scutum defendendi habuisse tantum, quorum januæ noctu diuq; paterent, ut paratos se ostenderent ad eorum querelas excipiendas, quibus nec ullum diem, & tantum non horam abesse licuit Româ. Dio lib. XXXVII. p. m. 55. Dionys. lib. III. p. 557.

XLVI. Sicut autem ad parem regulariter non conceditur appellatio; ita nec ad eundem judicem: tam quia non est superior, quàm quod appellaretur ad eundem, qui sententiam retractare non poterit, cum sit functus officio: neque enim imperare sibi, nec se prohibere quisquam potest. l. 51. D. de Rec. arbit. Quod si faceret, seipsum temeritatis ac imperitiæ antea commissæ insimularet: præterea nec hoc casu recursus fieri poterit ad judicem, à quo fuit provocatum. l. 6. C. de Appell. Si itaq; in Ducatu Wirtebergico justitiæ antistites, qui Studgardia vel Tubingæ, *das Stadt Obergericht daselbst* / ut ordinarii judicant; non poterit ad eos-

Ad eundem non datur appellatio

E dem



dem provocari, secundum Befold. de Appell. cap. IV.
 num. 3.

Privilegia ad certam summam. XLVII. Quibusdam privilegia de non appellando hodie ad certam pecuniæ quantitatem concessa novimus, infra quam ad Camera[m] provocatio non permittitur. Quin nec ipsa Camera omnes appellationes, aut causas cuiuscunque summæ admittit, sed eas tantum, quæ 50. florenos excedunt. Ord. Cam. p. 2. t. 28. §. 3. und sonderlich ordnen Wir. Denais. cap. xxix. n. 1. quæ summa tandem aucta est de Anno 1600. ad trecentos florenos, quos continere causa debet ad Camera[m] devolvenda. Gail. I. O. CIX. n. 8. Limn. IX. jur. P. c. II. n. 164. adeoque appellans hanc qualitatem sive summam Privilegio conformem esse, habet indicare, secundum Gail. I. Obs. CXXII. n. 1. Adde Befold. disc. jurid. Pol. de Appell. c. VII. p. 203.

XLIX. Tali autem privilegio variæ hodie gaudent Civitates, Argentina, Francortum ad Moenum, Lubeca, quid? quod & Principes nonnulli habent hoc ad certam summam restrictum, quæ commodius legi integra ap. Aircr. Processi judic. part. II. c. II. Obs. 2. Limnæum lib. VII. Dam. Oth. brevius. cap. XI. possunt, quàm per partes dissecta huc inferi.

Defensur Otho. XLIX. Occasione Reipubl. Argentinensis placuit singulare illud adiungere beneficium, quo sola fruitur, daß sie vor allen andern Städten des Reichs / welche solche Huldigung thun müssen / non præstet Imperatori homagiū[m] sive juramentum fidelitatis. Quo de videatur Limn. lib. VII. c. III. n. 10. ut velex eo occurrì possit eidem sigillanti Daniele[m] Othon. jur. P. cap. X. n. 4. dum ita eum castigat: *Solum jurat Imperator, non Electores.*

Stores. Refert tamen Lehman. Chron. Spir. lib. II. cap. LXXIV. formulam promissionis juratae statuum, quam faciunt post Coronationem.

L. Et tale statutum certam continens summam vigere in Gallia, refert Tholos. de App. c. XV l. lib. III. n. 2.3.

LI. Fundamentum huius restrictionis ad certam summam nec ignorat Jus Civile. l. 37. C. de App. (siquidem non excedat litis aestimatio decem librarum auri quantitatem: ita ut possit iudex ad certam summam iudicare iussus, etiam de maiori iudicare, si inter litigatores convenerit. l. 74. §. 1. de iud. l. 28. ad munic. Dig.) Nov. XXIII. c. III. pr. Potest enim is, qui plenam in omnibus remotâ appellatione concedere valet potestatem, & concedere jurisdictionem certis limitibus circumscriptam, ne, ut dicitur in Nov. cit. super minimis causis maximi inquietentur iudices, homines propter minima maximis fatigentur dispendiis. §. 1. litigantesq; sumptibus vexentur inanibus, qui sæpe summam excedunt principalem.

*Fundamē-
rum certe
summa*

LII. Etsi quidem regulariter in omnibus causis l. 3. C. de pedan. iud. etiam minoribus appellandi sit beneficium concessum. l. 20. C. de app. c. 11. Extr. de App. in minimis tamen, frivolis (qua de voce, ut occurrente in l. 11. §. 5. de pign. act. Festus p. 291.) & Vilioribus, quas agitari ulterius nil attinet, aestimatio litis appellationem de Jure Civili inhibet. auth. nisi breves C. de sent. ex peric. *Cur in minimis causis non concedatur appellatio.* ubi vocem periculi ex fide consentientium Codd. retinet Gothofr. in not. Coll. Arg. ex Cui. in C. de Appell. apud quem legere debes citatam obs. XXV. non XX. lib. V. Eandem lectionem defendit ap. Cornel. Nepot.



Epaminond. *cap. ix. n. 2. in periculo Schopp. lib. iv. Ve-*
risim. cap. xlix. Budæus tamen in hoc titulo Codicis
 & Magius ap. Nepotem legunt *breviculum* à brevi, quo-
 modo indices rerum vocatas ex Lamprid. Severo *cap.*
xxi. p. 212. ed. Sylb. licet colligere. Sext. Ruf. sub ini-
 tium Breviarii: quæ vox licet damnetur à nonnullis,
 tamen legitur ap. Sueton. August. *f. fin.* & Plinium, pro
 brevi Commentario rerum. Latè hoc de agit Dona-
 tus in Sueton. Aug. *cap. ci. p. m. 543.* Sed vix ex eo pendent
 opes Græciæ.

Peniculum
quid in tit
Codi

LIII. Etenim videmus non paucos detestando
 quodam huius beneficii appellatorii abusu magis iniu-
 stam causam extendendi, quàm jus suum ritè perse-
 quendi studio, calumniosâ provocazione, adversarium
 vexare ac detinere. *l. 12. §. 7. C. de edif. priv. Nov. XLIX.*
pr. eosque per varios litium ambages malitiose dedu-
cere, iudicibusque ipsis, quod aiunt, herbam porrigere.
Ord. Cam. p. 2. tit. 28. Diweil die Partheyen mehr auf-
muthwillen / damit sie etwan ihrem Gegenheil zum ends-
lichen verderben und verlassung der Sachen dringen &c.

Quocirca ut eiusmodi audaculis temerariis ob causam
 frivolam frivole appellantis malitiæ ac temeritatis
 occasio amputetur, liberior ista appellandi licentia va-
 riis privilegiis, quasi certis inclusa est septis, intra quæ
 sub certa summa appellationis cursus inhibeatur suffla-
 mineturq;: cum minus rectè conveniat, etiam rerum
 minutissimarum nomine negocium faceffere Impera-
 tori vel Camer. Vid. Scip. Ammir. *diff. Pol. III. V.*

LIV. Nec de defensione jure naturali compe-
 tente quisquam conqueri habet, quasi juris sui conse-
 quendi subsidia alicui adempta sint, quæ contra magi-
 stratu.

stratum pervicaciam ac iniquitatem salva & integra adhuc animadvertes, cum ea defensio moderata esse debeat, & semper distinguendum sit inter rem & rei modum. Certè cum ipse Imp. Justin. in *l. un. C. ne lic. in una ead. caus.* constituerit, ne cui in eodem negotio licitum sit tertium provocare super iisdem capitulis: quia magis ex obstinata quadam pertinacia videatur uti isto beneficio, quam ex justitiæ studio; nec ratio deficit, cur coarctatio hæc in quibusdam causis & personis tolerari debeat: per constrictionem enim istam litium involucra constringi non sine certo Reip. commodo, quis est, qui non videt? *l. 21. D. de Reb. cred. l. 16. C. de jud. l. 10. C. de transact.*

LV. Gignit namq; litem lis Ptolemaica, donec longas superet etates. quo de Andr. Schott. in Prov. è Vatic. biblioth. cent. III. n. 44. add. eund. p. m. 61. §. 403. Ingrati autem viderentur esse cum Lipsio, Viro eruditissimo antiquitatisq; studiosissimo adversus Imp. si ea nobis hæreat iniquior doctrinæ Jurisperitorū opinio, quasi litium hæc proelationes, immensa litigia, patronorumq; quæsitæ sæpe fraudes legū imputemus multitudi. Nec eo pertinere putarē, quod Tac. scribit: corruptissimā Rep. plurimas fuisse leges. III. Ann. cap. XXVII. *s. fin.* cum non dicat, multas leges corruptam reddere Rempubl. sed in corrupta Rep. Romana plurimas esse latas leges non firmandæ concordia, sed adipiscendi illicitos honores ergo, & alia prava. idem §. 2. De hoc negotio egregiè differit Besold. in sæpe laudato disc. cap. l. n. 9. Forstner. in Not. ad Tac. p. m. 265. & Giesebert. Peric. Stat. Dithmars. art. XVI. n. 200. seqq.

LVI. Verecundam ergo nec vituperandam eius esse cogitationem, qui lites execratur, quis non fateatur

*Sed
malitia
humana.*

cum Ulp. l. 4. §. 1. *D. de Alien. mut. jud. c.* maximè in bo-
no Principe, cuius est cavere, ut longa controversiarum
series finiatur & sopiatur, ne ultra seculi spacium exten-
datur l. 13. pr. *C. de judic.* ut etiam pessimi ac obstinati Ci-
ves litigioso altercandique rixandique ardore immane
quantum prurientes compescantur, quò minus odiosâ
istâ cunctatione impedimenta aliis in consequendo ju-
re suo struant, seque ipsos inani sumptu, qui litis sum-
mam elevat, divexent, jam de Victoria desperantes, vel,
ut Jureconsultus loquitur in l. 1. *D. de inoff. test.* spem
nullam habentes. Ita & in Recess. Imp. Spir. de anno
1570. §. Als wir dann auch: weil des muthwilligen und
unnöthigen appellierens wegen / die Rechtliche Sachen
an unserm Käyserlich. Cammergerichte sich nicht wenig
häuffen / auch vielmal mehr unkosten / auff die Sachen /
als sie werth seyn zc. Darumb zc. Quas & rationes tan-
tum non continet Privilegium de non appellando con-
cessum Electori Trevirensi. *Limn. lib. III. c. v. n. 20.*

*Privilegia
absoluta.*

LVII. Sicut quibusdam Privilegia ad certam
æstimationem concessa sunt: ita & multorum hodie
Principum Curias ab omni exemptione esse appellatione
notum est, ut nullâ habitâ ratione valoris certive pre-
cii, omne jus provocationis excluderetur: non secus
ac olim Imperator iudicem dare solitus est, ne liceret
ab eo provocare. l. 1. §. 4. *D. à quib. ap. non lic.* Tholos.
cap. xx. Besold. d. tr. cap. 11. n. 70.

LXIX. Tale est Privilegium Electoribus conces-
sum, cuius vigore incolis eorum est adempta facultas
appellandi. *A. B. Car. IV. c. VI. §. und sezen darzu:* (De vo-
ce Bullæ, quàm à Græco βυλλη deducit subtilissimus Sca-
figer, hoc nomine à Perotto valdè derisus, vid. Meurs.
Gloss.

Gloss. Gr. barb. §. 91. Limn. *lib. 1. c. xi. n. 18.* in tantum
 ut & judicium aulicum Cæsareum den Kayserlichen
Reichs Hoffrath excludat: cum specialis sic exceptio ju-
 dicii Aulici in solo denegata justitiæ casu. Verba aureæ
 B. rit. xi. se ita habent: Da aber das Recht nicht mitges-
theilet werden solte/soll allen denen/so das Recht versaget/
einig und allein an den Kayserlichen Hoff vnd Gerichte
z. zu appellieren zugelassen seyn. Regulariter ergo de-
 negabitur appellatio ad Imperatorem ab Electorum
 sententiis: siquidem exceptio firmet regulam in casi-
 bus non exceptis. *l. 12. §. 43. vers. denique. D. de instr. leg.*
add. Barbof. axiom. lib. v. cap. xxiii. n. xxiv. Carbozov.
ad L. R. c. ix. Sect. iv. ff.

*Excludit
judicium
aulicum.*

LIX. Hoc tamen beneficium vel ex humanita-
 te, appellationes ad Cameram admittentes, ne de iniu-
 ria quis sibi illata conqueri haberet, secundum Bachov.
 in Tr. Vol. II. *disp. xxxiii. th. 4. lit. E.* quæ ratio Electoris
 Moguntini ap. Limn. *lib. III. c. iv. n. 7.* vel desuetudine
 amifere Trevirensis, Palatinus, Coloniensis, quod ex
 tenore privilegiorum forte defendi posset; ut ut Do-
 minus Limnæus contrarium sentire videatur *III. II.*
n. 70. Vide Befold. *disc. saepe cit. cap. II. n. 19. p. 72.* Reink.
de R. S. & Eccl. lib. I. cl. IV. c. VI. n. 2. Gail. *II. Obs. LX.* Da-
 niel Otho *cap. XI.* Privilegio enim non utens, illud a-
 mittit. *l. C. Atilicius. 35. D. de S. Pr. R.* Schneidw. ad §.
 possidere Inst. de interd. *n. 161.* ita tamen, ut quod ad
 certam summam ab iis concessa non sit appellatio,
 quam ex Gylm. *tom. I. Symph. designat Rumel. ad Aur.*
B. diff. II. part. II. th. 2. Otho d. cap. XI.

*Quinam
id privi-
amifere.*

LX. Cæteri integro privilegio adhuc fruuntur. *Non R. Bo-*
Regem Bohemiæ hoc jus constanter retinere asserit. *hem.*
 Gold.



Gold. de Regn. Bohem. lib. IV. c. XIII. n. 15. Limn. lib. III. c. XIX. n. 18. Rumel. ad A. B. c. I. n. 3. & diff. XIX. n. 4. quod etiam ex Alberto Bruno probat Carpzovius.

Non Ele-
for Bran-
deb.

LXI. Brandenburgico Electori litem hoc nomine moveri nolim, quasi ille amissum hoc beneficium singulari quadam concessione ab Imper. Rudolpho II. impetraverit denuo, quo post Heigium inclinat Henning. Arnif. parens piæ memoriæ de Jur. Maieft. lib. III. cap. II. n. 3. & Daniel Otho p. 255. cum ipsa Rudolphi II. verba aliud suadeant in renovatione istius privilegii: über 100. Jahr niemand Macht gehabt von der Churfürsten zu Brandenburg urtheilen / an unser Cammergericht zu appellieren: seyn bissher geruhelig bey solcher Befreyung gelassen worden: post: bissher unverruckt behaltten etc. legatur integrum ap. Limn. III. XI. & luculenter patebit privilegii non nova concessio, sed confirmatio: quæ adeo vera etiam habentur Dn. Carpzov. jurispr. For. part. I. Const. XX. n. 23. Limn. lib. III. tit. secundum proverbium, conferri cum iis possint, quæ ad Sagram gesta sunt. De quo vid. Andr. Schott. Adag. p. III. 348.

et Carz. d. l. 12.
c. 9. s. 3. n. 9.

Notatur
Rumeli-
nus.

LXII. Nec satis tuto assentiri audeo Rumelino, quasi eo discrimine Elector Brandenburgicus & Saxonie jure hoc non appellandi fruantur, ut illud Saxoni concessum ad alios Principes Saxonicae familiae extendatur per verba privilegii; Brandenburgicum autem non nisi Soli Electori competat: quo & post Knichen. verb. jus. c. II. n. 32. diceres deflectere nulla facta decisione Daniel Otho. jur. P. cap. XI. n. X. cum tamen eadem ratione, quâ privilegium hoc ad Saxoniam familiam trahitur, nec denegari Brandeb. familiae possit, iis in verbis: meynen / sehen wir / daß solche der Churf. zu Brandenburg hersgebrach

N.B.

gebrachte Berechtigkeith / und diß unser gegeben Privilegium deß nicht appellierens kräftig vnd beständig sey / und die Churf. zu Brandenburg / ihre Erben und Nachkommen / sich derselben erfreuen / und gebrauchen mögen
22. Limn. III. c. II. n. 12.

LXIII. Perquam liberale privilegium Serenissimis *Nec Saxonia.* Saxoniae ducibus indultum est: quod vix recte confundes cum Privilegio de non Evocando, licet id non displicere videatur Dn. Limn. lib. III cap. I I. n. 68. & cap. X. n. 37. aurea enim Bulla in confirmatione privilegii, ne possint subiecti in aliud tribunal evocari, hoc ab illo de non appellando **S. und ordnen** postea proposito non obscure distinguit. Vid. Rumel. distinctè hæc duo exhibentem ad A. B. *dis. I. & II.* & Clar. Virum Carbf. ad L. Reg. c. IX. *sect. III. n. 11.* latissime idem persequentem ad privil. de non app. Ducum Saxon. n. 22. *segg.* cum quo tamen privilegii istius de non evocando autorem asserere Carolum IV. dubitat Rumelinus *part. I I. diff. I.* Reges quidem Bohemiae eò ante usos fuisse privilegio expressa A. Bullæ verba ostendunt: *cap. IIX. pr.* **Darumb dieselbe Freyheit / Gewonheit und Gnad erneuern wir auß Vollkommenheit Kayserlichen Gewalts / rechtem wissen / und bestattigen sie. & cap. XI. wie solches bißher ebenmäßig gehalten worden.** de quo idem *part. I. disp. IIX. pr.*

LXIV. Neq; etiam cum iis faciendum, qui privilegium Imp. Ferdinandi litis provocatoriae nesciunt confirmans, cuius verba leges ap. Airer. *part. II. proc. cap. IV. Obs. II.* novum explicant Privilegium, quasi aliàs nuncupationem privilegii amittat: nam non solum ea voce designantur noviter collata, sed & quando juri quaesito assensus Imp. accedit; qui omnia sua facit, quibus
F bus

Confirmations Privilegij.



bus suam impertitur auctoritatem. *l. 1. §. ult. C. de jur. V. enucl.* Horum errorem notat *Limn. cap. X. lib. III. n. 42.*

LXV. Licet autem confirmationes Privilegio-
rum necessariae non sint, cum alioqui datum non egeat
successoris novo beneficio, is etiam, cui per electionem
defertur imperium, pactis & conventionibus ad regi-
minis utilitatem ab antecessore factis obligetur. *Reink.
de R. S. & Ecl. l. cl. III. cap. X. n. 42. Tholos. VII. de Rep.
c. XI l. n. 1. adde omnino Cl. Tabor. Præceptorem ho-
norandum accuratè hæc pro more suo examinantem
in eleganti tract. de obl. success. in offic. cap. V. Lauda-
tur hoc nomine delictum illud humani generis Titus,
quod beneficia à superioribus concessa à se peti non sit
passus. Sueton. cap. II X. Xiphil. Dion. Aurel. Victor id
moris fuisse ait. Cuius etiam laudabile secutus est exem-
plum optimus Nerva ap. Plin. VI. Ep. LXVI; nihilomi-
nus securitatis maioris ergo impetrari solent *Limn. d.
cap. X. n. 44.**

Rationes.

LXVI. Accedit perversa quorundam malitia, quæ
occasionem petita ac impetrata confirmationis huic
dedit, dum nonnulli consuetudine istâ se non teneri
audebant contendere, quorum audacia his verbis in-
nuitur: *Das sich gleichwol in neulicher zeit solche des
Hauses zu Sachsen wol hergebracht / und auß rechts
mässigen ursachen erlangten Gerechtigkeit zu wider / etli-
che unruhige Leute sich freventlich unterstanden von sei-
ner Liebden urtheilen und decretis zu appelliren.* Quid?
quod & alias notum est, superflua non nocere. *Magnif.
Tab. ad Barbof. lib. XVI. cap. LXXI. n. 4.*

LXVII. Sicut ergo olim à præfectis prætorio non
admissa

admissa fuit appellatio, quod Princeps crediderit eos pro sua sapientia ac luce ita iudicaturos, ac si ipse foret iudicaturus: ita nec denegare id visum fuit Electoribus sapientissimis, qui autoritatis, dignitatisq; respectu iisdem à nonnullis comparantur. *Electores quibus comparantur.* *Limn. lib. III. c. II. n. 69.* & non uno in loco Dn. Carpzov. quæ & collatio nec ipsi Saxonix duci Augusto in literis ad Ferdinandum I. scriptis omnino displicuisse legitur: Wie dann auch solche Befreyung einem Churfürsten von Sachsen/ nicht weniger/ als einem Præfecto Prætorio nach gemeinen Kayserlichen Rechten/ billich gebühret und zustehet: in alia tamen euntibus Arnisæo Relect. *Pol. cap. IV. Sect. VI. n. 71.* Besoldo *cap. II. n. 19.* comparando eos Ephoris Lacedæmoniorum: quorum mentio fit apud Nepot. in Themist. *cap. VII. n. 2.* & in Pausan. *cap. III. n. 5.* De horum potestate & officio vid. Nicol. Crag. de Rep. Lacedæm. *lib. II. c. IV.* Add. Al ab Al. Gen. dier. *lib. VI. cap. XXIV.* edit. *Tiraq. p. m. 739.* Quid in hoc Magistratu reprehendat Aristoteles? vid. *II. Pol. cap. VII.*

LXIX. Ut ut sit, non iniquum est, ut his, qui suis consiliis, laboribus ac vigilantia pro orbe Romano laborant, in curarum consiliorumque societatem ab Imp. assumpti A. B. Car. IV. *tit. VII.* habeant dignam suæ prerogativæ fortunam, ut ait Imp. in *l. un. C. de quadr. prescript.* cum credat Cæsarea Maiestas eorum tribuna- lia ita esse instituta, ut justitiæ sanctitas nullo modo lædatur, quin potius ibi iudicetur, ac si pateret adhuc provocationis remedium.

LXIX. Huic accedit favor Reip. cuius summo pe- re interest, lites ut finem capiant. *l. 21. D. de Reb. Cr. l. 20. pr. C. de agricol. & censit. & moriantur.* quo de Cui. ad

tit. de minor. xxv. ann. ad l. ait prator sub fin. & xvi. Obs. c. ix. cum iis etiam bene constitutæ Resp. concuti & tantum non everti poterunt. l. 21. §. ult. D. de capt. & postl. rev. Vasq. part. i. lib. i. cap. xli. n. 18. Quæ & ratio non parū momenti ad concessionem juris non provocandi ad Cæsarem attulit, ut patet ex iis verbis privilegii: wurden die Rechtfertigungen/ dadurch unsterblich gemacht werden/ und mussten endlich die Armen/ so gleich eine gute gerechte Sache hetten/ von wegen ihres unvermögens rechtslos bleiben. Ut nihil nunc dicam de periculis & incommodis, quæ sequuntur appellationem remotioribus in locis exercentes. Qua ratione & impulsus Justinianus Cypro & Cycladibus insulis, quarum caput Rhodus, necessitatem appellandi remittit. Nov. xli. & l. ex Cui. add. Nov. Rittersh p. 10.

*Archiducū
Austria
privileg.*

LXX. Gemino cum Electoribus hac in parte jure fruuntur Archiduces Austriae, à quibus ad Cameram omnino non appellatur. Die Sache/ so eine Appellation auff sich trüge/ soll nicht weiter dann in des Landsfürsten Cammergerichte vofführet/ und darüber an uns/ noch unsere Nachkommen am Reich/ noch an des Reichs Cammergerichte nicht appelliret zc. werden. Limn. lib. V. Jur. pub. c. 11. n. 35. Cui illustri domui non denegandum esse videbatur hoc beneficium, cum ei indulta essent alia longe ampliora, quod scil. propriâ autoritate nova Vectigalia instituere potuerit. Non est tamen, ut quis hîc nobis obiiciat Capitulationis Cæsareæ n. 20. *nullum Vectigal de novo imponat Imperator.* Ergo neque ducibus Austriae id concedere poterit, ut suâ autoritate imponant. Id enim ad jus Vetus, ubi licitum Imperatori fuit propriâ autoritate Vectigalia imponere, trahendum

dum esse, vel Munsteri autoritas, ex quo id educitur, probat. De hoc & aliis Archiducum privilegiis vid. Dan. Oth. c. xlix. p. 559. & cap. xi. n. 3. p. 336. Limn. lib. vi. c. i. n. 34. Sicut de illa diversitate juris agit Carpz. ad L. Reg. cap. iix. Sect. i. n. 8. 12. Denais. verb. *vestigali* p. 376.

LXXI. Pariter non datur appellatio à Duce Wirtebergiæ, qui habet jus extremæ provocationis ad subiectos tantum restrictum. Si ergo lis est inter Civem & peregrinum, poterit Civis appellare eodem jure, quod habebat peregrinus, ratione, quod quisque juris, ut ipse eodem jure utatur. Col. Arg. à quib. ap. non lic. n. 8. Limn. vid. de hoc privil. v. xvi. n. 11. & 12. Insigni privilegio Groninga Frisiæ ornata est, quod ex Ubbone Emmio de Agro Frisiæ laudat Besold. d. tr. p. 77. Ita Par-
lamenta in Gallia, Consilia in Hispania, Curiam Neapolitanam lites extra provocationem definire scribit Reink. lib. i. cl. 11. c. r. n. 192. Besold. c. 11. n. 21. p. 89.

Dux Wirteberg.

Groninga.

LXXII. Quod autem privilegia hæc de non appellando vel absolute, ut Electoribus, vel ad certam summam concessa tollant tantum ipsas proprie dictas appellationes; remanente adhuc recursum ad superiorem seu Imperatorem, qui ubi status Imperii justitiam alicui omnino denegaverit, supinam hanc negligentiam corrigat ac emendet: non solum ratio publicæ salutis evincit, sed & ipsa constitutio. Ord. Cam. part. 11. t. xxvi. quæ ubi expressa est, inanis redditur omnis disputatio. Hering. de Molend. præfat. Aperta sunt A. Bullæ tit. xi. verba: *Da aber das Recht nicht mitgetheilet werden wolte/ soll allen den vorgemelten / welchen das Recht versaget worden 2c.* Besold. d. tr. vid. p. 55. Carpz. ad L. Reg. c. ix. Sect. vii.

Justitia denegatio tollit privileg.



Ratio.

LXXIII. Enimvero cum Electoribus privilegium hoc ob singularem industriam, fidem indultum sit, dum existimavit Imp. ipsos pro sapientia ac dignitate sua non secus judicaturos, ac si ipse fecisset. argt. l. 1. §. 1. *D. de off. pr. prat.* nemo est qui non videt, facile cessare beneficium, cessante ipsâ causâ. Constituti namque sunt Reges & Principes, ut justitiam exercent, ne & cæteri quicquam eâ antiquius existiment. Et cum iudex ob magnam negligentiam ab officio poterit dimoveri, notabili textu l. 3. *C. de off. pref. pt. or. Nov. 128. c. 21. Gail. 1. Obs. XXIIX. n. 8. Tholos. de App. lib. 11. c. XXIIX.* concludit Dominus Carpzov. d. l. etiam posse Privilegiis sibi competentibus excidere. Immane quantum ad Imperatoriæ Maiestatis curam hæc cura ac sollicitudo pertinet, ne cuiquam justitia denegetur, quin potius nemine flagitante oppressis ex officio Cæsaris exhibeatur. *Reces. Imp. de An. 1564. §. 10. Diweil dann solches uns als dem Haupt allewegen gebühren wolte / ob schon gar niemand bey uns anhielt / für uns selbst die Frommen zu schützen.*

*Obiectioni
occurritur*

LXXIV. Nec quisquam Salvatoris obiiciat exemplum, qui adulterum, nullo existente accusatore absolvit apud Joan. *cap. 11x. pr.* quasi innocens præsumatur, quem nemo accusat, nimiumque liberalis hæc videatur Imperatoris cura: cum à separatis male inferatur; nec Christi officium tum fuerit damnare aut judicare: sicut neq; derogatur justitiæ familiæ erciscundæ, quod Christus noluerit hereditatem inter fratres dividere. *Luc. cap. XII. n. 13.* prout aliàs observat Clar. Vissenbach. Fautor honorandus.

LXXV. Manet ergo vires suas perdere hoc Privilegium ex denegata justitia. *Rumel. ad A. B. diff. 11. p. 11.*

n. 13.

n. 13. qui vix recte allegat Reinkingium *lib. 11. cl. 1. cap. x.*
cum octo tantum capita inveniam. De isto differen-
tem vide Reink. *lib. 1. cl. 14. c. vi.*

LXXVI. Has autem querelas Reges, Principes,
Magistratus oppidò valde avertere ac declinare pote-
runt, si admonitionem illam ad omnem vitam perti-
nentem animis suis obversari patientur: *quod sibi quis
nolit fieri, non inferat ulli.* Quo nomine & Principem
Imperatorum Princeps Oratorum Plinius deprædicat
cap. XLIV. n. 2. Hoc divinum præceptum ita ore & ani-
mo coluit Imp. Severus, ut & in palatio publicis operi-
bus præscribi iusserit. *Æl. Lampr. in Vit. p. m. 220.* Adde
multa eiusmodi congerentem Andr. Schott. in *Ada-
gial. sacr. ex Luc. cap. vi. p. m. 73.*

LXXVII. Illud non adeo expeditum est inter Dd.
an per illa Privilegia de non appellando, nullitatis que-
rela inhibita censeri debeat? Certe privilegium illud
Saxonicum ita extendit Knich. ut nullum omnino
subsidium reliquum existimet, cuius rationes adducit
Rumel. cit. loc. n. 15. p. 52. amplectitur & late defendit
Carpzov. d. *disp. n. 68. & seqq.* à se ipso deficiens, qui in
*part. 1. jurispr. Forens. const. xx. def. xxiv. & ad L. Reg. cap.
ix. Sect. vii. n. 7.* animosè resistit argumentis Knichen.
quæ etiam examinat Gail. 1. *Obs. 135. n. 4.* & præjudiciis
Camerae eam firmat sententiam, agi scil. adversus nul-
litates posse: quam & arripit Reink. *lib. 1. cl. 14. c. VI. n. 4.*
Besold. de *App. c. II. n. 19. p. 73. cap. VI. n. 5. & cap. VII.
n. 2. p. m. 208.* cum diversa sint remedia, quorum su-
blato uno non necessario tollitur alterum: quod enim
in prohibitoriis expresse non est prohibitum, cur stare
prohibeatur? *l. sancimus 27. C. de testam. l. 32. §. 6. C. de
Appell. l. 43. §. 1. D. de pro Cur.* Add. Hoepner, de *Sent. ex
querela nullit. impugn. n. 143.*

LXXIIX.

2

Nullitas
sententia.

An appel-
landum à
Sententia
nulla?

LXXIIX. Esto: Licet à sententia nulla appellare non sit necesse, *l. 12. D. de appell. l. 19. 21. §. 1. eod. l. ult. C. de sent. experic. recit. l. 6. C. qnd. prov. non est nec. tot. tit. D. quæ sent. sine appell. resc. ubi vox rescindere, (quæ & alias admittit significationes, ut in *l. 14. l. 55. D. de Re jud. tot. tit. C. sent. resc. non posse.* de quibus Calvinus & alii) prædicatur de iis, quæ ipso jure nulla, prout sumitur in *l. 5. C. de rescind. vendit. arg. l. 7. pr. D. dolo malo.* Ratio eius, quod talia ipso jure corrunt. Wesenb. *parat. D. de Appell. Perez. C. qnd. prov. non est nec. Clariss. Tab. in Barbof. lib. XII. cap. XXVII. 176;* tamen ad id eiusmodi appellationem requirunt Dd. ut negotium devolvat ad judicem provocatum, & impediatur executionem. Herculan. *de Attent. cap. XXIII. n. 5. p. m. 532.* Tholos. *de Appell. cap. XVI. p. 219.* Bernhard. Gfel. *disp. de Appell. th. 5. lit. d.**

Appella-
tiones an
sint Juris
Gentium.

LXXIX. Cæterum opportune se nobis exhibet Dn. Mastert, qui, dum *in tr. de Justit. Rom. leg. lib. I l. dub. LXV.* dicit: appellationes non esse Juris Gentium, si absolutè intelligi vult, periculosam fovere doctrinam forte dici posset. Rationes eius sunt, quæ & iis, quæ supra dicta sunt, non parum officere videntur: quod scil. Princeps delegare possit causas remotâ appellatione. *l. 1. §. ult. D. à quib. appell. non lic.* ab ipsius Principis appellari sententia nequeat: nec concedatur appellatio à sententia Præfecti Prætorii. Cum autem jus gentium sit, quod naturalis ratio inter omnes constituit, & apud omnes peræq; custoditur homines, concludit appellationes non esse Juris Gentium. Vencor autem ne talis sit collectio, quâ aliàs pactum nudum de Jure Civili parere actionem efficere conatur: quam

quam assertionem solide refutavit Ampl. Tabor in E-
 lem. Jurispr. Method. *part. III. Sect. III. post n. 37.* cuius
 vestigia legit Coperus in disp. Inaug. Conclus. ex Jur.
 Justin. Si enim concedit Cl. Vir. esse appellationes has-
 ce juris Civilis, non poterit negare, esse juris gentium,
 cum, quicquid est Juris Civilis, etiam aliquo modo sit
 Juris Naturalis & gentium, Connan. *lib. I. Com. cap. VI.*
n. ult. Cicer. 3. de officiis sect. 65 ibi: quicquid est Jurisg. id
quoque est Juris Civilis. C. A. de just. & jure. th. 29. Eo ta-
 men non adimitur Juri Civili licentia, quo minus ex
 utilitate communi status possit certo modo de re ali-
 qua disponere. Jure gentium tenetur unusquisque
 reddere, quod mutuo accepit: at Jure Civili excusatur
 filiusfamilias & minor XXV. annis. Scilicet ob evi-
 tandam multitudinem litium, quâ pravi homines de-
 lectarentur, si appellationes in infinitum usque exten-
 dere esset licitum, prudenter Lex Civilis libertatem vel
 potius immodicam licentiam moderata est. Distin-
 guendum ergo inter rem & rei modum: Cum hæc re-
 strictio Juris Civilis totum negotium non exhauriat.
 Quin hæc dispositio, non licitam esse provocationem
 à Præfecto Prætorio, sit à Jure Civili, non negamus, ra-
 tione formæ & modi procedendi: Jus autem appellan-
 di in universum s. absolutè consideratum non esse Juris
 Naturæ, & gentium, minus forsan recte hinc conficies.
 Et jus gentium nihil aliud esse quàm jus naturæ, cuius
 rigori gentes plerumque æquitatem prætulerunt, eoq;
 nomine id quod juris est naturalis, dici juris esse gen-
 tium, late disputat Ampliff. Ernstius, Affinis colendus
 in Catholicis suis juris relectis, quæ brevi, spero, lucem
 videbunt.

G LXXIX.



*Pena ap-
pellantiū
temere.*

*Jure Civi-
li.*

Canonico.

*Camera-
li.*

Danico.

LXXIX. Ne autem quis per calumniam judicia qua-
si rideat, & citra probabile gravamen saluberrimò Ap-
pellationis beneficiò abutatur, ad reprimendam eius-
modi temeritatem varias legimus Jure Civili proditas
esse pœnas. Tales improbi litigatores plerumque da-
mnò litis; aliquando etiam famæ notâ. *l. 19. C. de ap-*
pell. modò extra ordinem ad arbitrium magistratus pro
summæ in judicium deductæ quantitate. *l. 6. §. 4. C. eod.*
certâ pecuniâ l. 5. C. quor. app. non recip. l. 2. C. de Epis. aud.
puniuntur. Jure Canonico lite perditâ temere appel-
lans in expensas tantum condemnatur. *c. reprehensib.*
XXVI. §. 39. extr. de Appell. quam & pœnam hodie obti-
nere in foro Saxonico scribit Carpzov. Jurispr. Forens.
p. 1. Const. XX. decis. 23. De qua vide Zobel. in differ. jur.
Saxon. *part. 1. diff. XL. n. 12. seqq.* Jure Camerae olim
non solum in expensas hi, qui improbâ calumniâ non
tam vincendi votum, quàm adversarii quærunt detri-
mentum, (Cassiodori verba sunt) condemnabantur,
sed & aliis pœnis afficiebantur. Ord. Cam. *part. II. tit.*
XXIX. §. Dazu dieweil. Denais. Jur. Cam. *appellatio te-*
meraria p. 39. Hodie jure novissimo bis auff zehen Marck
lötigs Golds irrogatur pœna. Recess. Spir. de *An. 1600.*
§ und ob wol weiter. Jure Danico causa cadens certam
pecuniæ summam in supremo judicio ex arbitrio judi-
cis, habitâ ratione litis, decisam numerabit, meliore sane
ratione, quàm iniquissimus ille Caligula, pro litibus
omnibus, quadragessimam summæ, de qua litigabatur,
extorsit, sive justa petendi causa fuerit, sive secus. Suet.
Calig. *c. XL.* In Gallia & Belgio certæ pecuniariæ pœnæ;
Ut & Argentorati à judicio XII Virorum constituta à
Maximiliano II. & confirmata à Rudolpho Anno 1582.
pœna appellantis ad Imper. vel Camera. De hac
cura

494.

51.

cura Principum in compescenda malitia nimis temerè
ad litigandum qui procedunt, erudite differit Besold.
d. tr. cap. XIII. n. 12. Nobis longioribus esse non licet,
magis desiderantibus benevolum affectum legentium,
quàm rigidum iudicium eorum, quæ currenti manui
se ingessere, nec Catonem censorem sustinere valent.

Veniam diutius non peto, ne vel desperare de
favore Vestro, vel fallacem quæsitumq;
ut vocant, prætextum arripere
videar.

CLARISS. DN. FABRO,
Amico suo.

Transferre in patriam, quod ubique excellit in orbe,
Qua præstare queas id meliore via;
Doctrinæ veteris thesauros undique sparsos;
Romani juris præcipuè omne decus;
Curarum, FABER, est rectissima summa tuarum,
Queis illustretur DANIA celsa magis.
Et ne jactator videaris scilicet esse,
Quæ transfers, signo candidiore notas.
Huius pars specimen doctæ solenne cathedræ,
Altera, quod reliquum est, clara cathedra dabit;
Joh. Georg. Dorscheus, D.

VIRO CLARISSIMO
DN. JOANNI FABRO.

Docte tuum, haut fallor, Faber ingeniosa Minerva
Ipsa suis manibus pumicat ingenium,
Et Musis Charisinq; Themis permixta recludit;
Quam varias culto pectore condis opes:
Argentina stupet subtilis acumina mentis
Te genij fetus excutiente sinus.
Quodq; sua genti jus scripsit Balthica Doris
Auspice Te spissis eruet è tenebris.

Pramis

Premia nunc tandem sperata capesse laborum,

Et totum famæ verus in auret honor.

Latatur Boreale gelu, dum nobile jaçtat

Dania depositum se peperisse sibi.

Perge bonis avibus, doctrinaq; exere fructus,

Certe erit hæc votis unica cura meis.

Properatò gratulabar Tubingæ

Michael Vibe Danus.

O D A

Viro Clarissimo DN. JOHANNI FABRO,

amicâ congratulatione dicta

A Stuat bello furor in Britannos
Belgicus; vastas inimicat Urbes
Ira: damnofo minitantur hosti

Fata Sicambri.

Mole Navali pelagus tumescit,
Et cruentatos parit unda fœtus,
Haud enim fervens agitur minutis

Pugna liburnis.

At, FABER, curas repetis quietâ
Mente, prudentes imitatus ausus:
Lite sublata vacuum duellis

Reddis & orbem.

Spiculis vicium jaculetur hostem
Miles, & vastet sceleratus Urbes:
Lege tu reddes patriam pudendis

Litibus orbam.

Mergat audaces pelago resorbens
Unda: funestas acuat sagittas
Cote terrarum populator, æqui


Lege solutus:

Sed, quod infausto maculat cruore
Mars ferox, per te THEMIS arte purgat,
Qui pias leges meditaris, orbis

Providus Auspex.

Sev. Joh. Cornerop.

F I N I S.



94 A 7383


ULB Halle
002 133 822

3




VD 17





imo
EY
ori &
roba
le Jur
discuti
abis,
proba
vota
piti s
abun
Or



17 795.

IVS AC PRIVILEGIUM
DE
NON APPELLANDO

Jure Civili & hodierno concessum
DISPUTATIONE INAUGVRALI

Favente summo Numine

Decreto & Autoritate

NOBILISSIMI AMPLISSI-
MIQUE IVRISCONSULTO-
RVM ORDINIS

IN CELEBERRIMA AC FLORENTI
ARGENTORATENSI ACADEMIA

Pro obtinendis in Utroque jure juribus
ac privilegiis summis

*Publico & placido congressui exhibet
Ad diem 20. April.*

JOHANNES FABER,
Nycopiâ-Danus.

•06*•90•

ARGENTORATI,

Ex Typographéo FRIDERICI SPOOR,
clō lōc LIII.

